Carmina quadragesimalia ab Aedis Christi Oxon. alumnis / composita et ab ejusdem Aedis baccalaureis determinantibus in Schola Naturalis Philosophiae publice recitata.

Contributors

Christ Church (University of Oxford)

Publication/Creation

Oxford : 'E Theatro Sheldoniano', 1723-1748.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/amj2u9s5

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



En/-1816.

OXFORD, Univ., Christ Church
~~ESTE, Charles~~

On authorship, see Notes & Queries 1856, 2 ser. 2, 130, 197, 312-3, 355-6, 435, 511-2

11. E. 2441.

The names in this volume are signed
on the authority of a copy once the pro-
perty of Elizabeth Impey Faculty Student
at Ch. Coll. Cambridge & Stephen
& Dr. James Impey

Notes & Queries 2nd Ser. vol. II. 20 18. p. 355
No. 44. Nov. 1856. B. N. C.

CARMINA QUADRAGESIMALIA

AB

ÆDIS CHRISTI

OXON.

ALUMNIS COMPOSITA

ET AB

EJUSDEM ÆDIS

BACCALAUREIS DETERMINANTIBUS

IN

SCHOLA

Naturalis Philosophiæ

PUBLICE RECITATA.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO,

MDCCXXIII.

Imprimatur,

GUIL. DOBSON

Pro Vice-Can. *Oxon.*

Jun. 13. 1723.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

REVERENDIS

ORNATISSIMISQUE VIRIS

ÆDIS CHRISTI ALUMNIS

HÆC CARMINA

D. D. D.

IIS

OMNI STUDIO ET AMORE

DEVINCTISSIMUS

CAROLUS ESTE.

ERRATA.

Pag. 16. v. ult. leg. *bibam.* p. 39. v. 11. leg. *validos.* p. 44. lin. 14. leg. *Intellectus Agens.* p. 92. leg. *Phœbeum.* p. 126. v. 11. leg. *Hebdomadalis.*

CARMINA
QUADRAGESIMALIA.

An Idem ſemper agat Idem? Affr.

ISIS qua lambit muros, ibi cernere poſſis
Cum veteri *Socium* conſenuiſſe lare:
Huic idem vitæ rerumque revertitur ordo,
Normaque ſtat rigido non violanda ſeni.
Nam conſtans ſibi, ſole torum ſurgente relinquit,
Et redit ad notum, ſole cadente, torum.

Huic eadem multos felis ſervata per annos;
Huic eadem lectum parvula ſternit anus.
Conviva aſſiduus, lumbo venerandus ovino
Paſcitur, & totos credo voraſſe greges.
Mox numerat paſſus ſub aprici mœnibus horti;
Mox terit aſſueta ſcripta diurna manu.
Communem hiſtorias repetitas narrat ad ignem,
Dum tria ſumuntur pocula, treſque tubi.
Quoque die hoc fecit *Carolorum* tempore, idemque
Temporibus faciet fòrs, *Frederice*, tuis.

An Ars ſit perfectior Natura? Neg^r.

ZEuxi, tuæ monumenta manus, mirabilis uva
Subrubet, incluſo viſa tumere mero:
Sed tamen hæc cedat, Pictor divine, racemis,
Quos mittit, Bacchi cura, Falernus ager.
Quid renuis? ſiccas torret ſitis arida fauces;
I, ſumas picto pocula plena mero.

Hanc

Hanc uvam ſitiens roſtro petit ales obunco,
At quam ſicca petit, ſicca relinquit avis.
Tenta iterum calamos; depingere, Zeuxi, ſaporem
Si poſſis, caprum ſume, Lyæus eris.

An idem Corpus poſſit eſſe in diverſis Locis? Neg^r.

QUid, Peregrine, aras gemmis miraris onuſtas?
Sacra manent oculos nobiliora tuos.
En! hic ſanguineis lacrymis ampulla rubeſcit,
Virgineo hic plenos aſpice lacte ſcyphos:
Quo Pluto ingemuit naſum comprenſus aduncum,
Dunſtani forceps igneus ardet adhuc.
Has monſtrat *Lauretum*, has *Compoſtella Jacobi*,
Has Romæ attonitus conſpicit hoſpes opes.
Quin ego relliquias, jactat quas omne Sacellum,
In nullo potius ſuſpicor eſſe loco.

An Anima ſit diviſibilis? Negr.

VIdiſtis nuper Monſtrum, cui ſæcula formam
Ediderint nunquam prodigioſa parem.
Eſt proles gemina infando partu edita, tergo
Altera ab alterius triſte pependit onus.
Ingenium his diſpar dederat natura gemellis,
Hæc placide garrit, triſtior illa ſilet.
Una dolet tandem crudeli languida morbo,
Et mirum! Stygias ſola ſubibat aquas.
Vitam ſeu mortem ſpectes, viguiſſe duabus
Et docet hæc animas, & docet illa duas.

An Viſio fiat per Receptionem Specierum? Affr.

UT vitreos oculis ſe lucida imago per orbes
Inſerit, Archetypi fida miniſtra ſui!

Non

Non talem Zeuxes, non talem effinxit Apelles,
Preſſa refert ſimilem cera nec ulla notam:
Ocyor it flammis, & pone ſequentia linquit
Fulgura, & alatos prævenit una Notos:
Contrahit in punctum radios, panditque viciſſim,
Perque oculi tunicas interiora petit:
Exhibet hic vaſtos montes, ſylvaſque, feraſque,
Et circumfuſum forma recepta polum.
Jam cedat Siculum, quod continet æthera, vitrum,
Nunc oculi parvo clauditur orbe globus.

An detur Generatio æquivoca? Neg^r.

DUM ſtetit Aſtronomus tecti alto in culmine, miro
Exploraturus ſidera ſumma vitro,
En! hominem in Luna cerno, inquit, adeſte, propinqui,
Hic aliquis vitam prodigioſus agit.
Quam largus venter! quantus poſt tergora gibbus!
En! ora exhauſto quam rubicunda mero!

Dixe-

Dixeris Aſtronomus licet hæc, fiducia non eſt;
Quis fiat pater huic, dic mihi; quæve parens?
Hunc hominem haud peperit caſtiſſima Luna; cerebrum
Crediderim potius progenuiſſe tuum.

An Preſſio Aeris ſit Cauſſa Æſtus marini? Negr.

QUO fluxus authore Thetis, qua temperat aura,
Unde ſubit refluas acta, redacta vices,
Quærit Ariſtoteles dum ſolo in littore, fallit
Heu! labor eluſum nocte dieque ſenem.
Hanc non, Juno, regis quamvis tibi pareat æther;
Non, qui antro ventos, Æole, claudis, ait.
Quiſquis es, in liquidis latitas qui ſedibus, ad te
Ibo, ait, & præceps æquora in ima ruit.
Quo, maleſane, ruis? prodet nox proxima cauſſam.
Motus Luna tuos quæ regit, illa maris.

An

8 *An Vita consistat in Calore?* Affr.

DUM tremula hyberno Dipsas super imminet igni,
Et dextra cyathum sustinet, ore tubum:
Alternis vicibus fumos hauritque, bibitque;
Quam dat arundo sitim, grata *Geneva* levat.
Languenti hæc ingens stomacho est fultura, nec alvus
Nunc Hypocondriacis flatibus ægra tumet.
Liberior fluit in tepido nunc corpore sanguis;
Hinc nova vis membris, & novus inde calor.
Si quando audieris vetulam hanc periisse; *Genevæ*
Dicas ampullam non renovasse suam.

9 *An Tempus possit esse sine Motu?* Affr.

DUM per sollicitæ producta silentia noctis
Jejunum ad Thebas Sosia carpit iter,
Esurit, & positæ se pascit imagine mensæ,
Et non gustatum dente fatigat aprum.

Oc-

Occiduis miratur aquis torpeſcere Solem,
Segniaque immoto ſydera ſtare polo.
Cur, ait, in verubus nondum bos fumat ahenis?
Olla nec undanti ſpumea fervet aqua?
Ignavus ſtertat Phœbus, ſtent ſydera cœlo,
Intentam patinis non latet hora gulam.

An Motus qui eſt uni Corpori violentus, Alteri ſit naturalis? Affr.

M*Arclæum* collem gens *Ariconia* narrat
Antiquum noctu deſeruiſſe locum.
Ibat, ſopitas pecudes, armentaque ſecum,
Sylvaſque, & ſegetes, tecta, viroſque ferens.
Vicini ſtupuere novi: — Quæ cauſſa repente
Traxerit e notis ſedibus arva, rogant.
Nocte una poterant pecudes veniſſe, virique;
Qui potuit priſcos linquere collis agros?

An

11. *An Natura agat frustra?* Negr.

QUot bona ſuppeditat Pætum mortalibus ægris!
Planta meri ſemper, lætitiæque comes.
Hæc leni fumo potantibus ora remulcet;
Feſſaque diffuſo membra vapore levat:
Hæc quoque contuſo recreabit pulvere nares,
Quo non eſt capiti gratior ullus odor:
Dentibus hæc addit flammis reſoluta nitorem
Virgineis; Cineri gloria tanta venit.
Te fruſtra, Natura parens, turba inſcia damnat,
Quæ tales humili ſtipite fundis opes.

12. *An Cœlum agat in Inferiora?* Affr.

PErtæſus ſponſæ conjux, vinclique jugalis,
Et pertæſa viri non minus uxor erat:
Ambo diu tacito celarunt corde dolores,
Celatum interea tempore crevit onus.

His ægri, fractique malis ad rura feruntur,
Sperantes Stygias quis prior iret aquas:
Optant ambo mori, ſed mors optata recedit,
Prorogat inviſos purior aura dies.
Funeſtos adeamus agros, triſteſque paludes,
Clamant; alterutri ſpes ubi certa necis.
Læti illuc properant, qua non ſpirabilis aer,
Qua, primo languens menſe, maritus obit.
O auræ vis certa! O mira potentia cœli!
Quod bene disjunxit, quos male junxit Hymen.

Au Bruta valeant Ratione? Negr.

PHyllidis egregiæ niveis requieſcit in ulnis,
Deliciæ dominæ, pulcra catella Chloe.
Hæc nunquam vetitis implet latratibus aulam,
Qua dormit Phyllis, dormit & ipſa Chloe:
Agnoſcit teneris data baſia mille labellis,
Et luſu alterno penſat amica canis:

Ægro-

Ægrotatne Chloe? domus eſt triſtiſſima, Phyllis
Neſcit nocturna mæſta quiete frui.
Vina bibit Phyllis, dapibuſque epulatur opimis?
Sunt ſua dilectæ fercula lauta cani.
At canis in lecto nonnunquam peccat; & eheu!
Interdum digitos improba mordet heræ.
Cum dominæ obſequitur, ratio dubitamus an inſit;
Cum dominam lædit, novimus eſſe feram.

An Quantitas ſit diviſibilis in Infinitum? Affr.

QUercus, quæ tutam tibi, *Carole*, præbuit umbram,
Æternum a ſalvo principe nomen habet.
Quilibet antiquo jactat de ſtipite palmam
Lucus, & oſtentat fragmina quæque domus.
Hinc tuſſe avulſos tibi continet, Ælia, dentes
Arcula, & hinc fucos altera, Phylli, tuos:

Hinc bene tornato cineres compeſcere ligno
Gaudet, fumantes cui placuere tubi.
Roboribus ne parce tuis jam nobilis Hæres;
Semper quæ ratibus ſuppetat, arbor erit.
Ni ſylva Angligenas, ſylvam ni deficit ilex,
Diviſa æternum regia quercus erit.

An detur Augmentatio & Diminutio in rebus? Affr.

INtentus ludo ſibi quærens undique riſum,
En! propero curſu Phyllida Thyrſis adit.
Auribus hæc, avidis, inquit, bibe, quæ tibi tradam:
Affero virgineis nuntia læta choris:
* Quæ parvi ante alias ſpatium contractius oris
Jactat, erit binis virgo beata viris.
Continuo Phyllis ſua contrahit ora, ſuſurrat,
Verba crepat tenui dimidiata ſono:

* Vid. Dr. King's Miſcellanies.

Quot

Quot ſponſos habeat patulo magis ore puella?
Huic dabitur ſponſis nubere lege tribus.
Nunc patulis diſtendit hiantia rictibus ora
Phyllis, quid? dabitur nubere lege tribus?
Immo age; vel parvis faveat lex æqua, vel amplis;
Apta ſatis legi cuilibet ora geram.

---

16 *An Cœlum agat in Inferiora?* Affr.

INcoluit, fidus narret ſi vera * Machaon,
Celtiacas olim fœmina mira plagas.
Incertum quoties Phœbe variaverat orbem,
Conſuerat vultus hæc variare ſuos.
Illa ubi plena nitet radiis obnoxia Solis,
Enitet hæc vultu conſpicienda pari.
Lux pariter fulgens, pariter decreſcit utrique;
Illa ſuos vultus contrahit, illa ſuos.
Nil opus, Aſtrologis; adſit modo fœmina; Galli
Hinc poterunt curſus, Cynthia, ſcire tuos.

* Meadus de Imperio Solis & Lunæ.

An Aër sit calidus? Affr.

HOrridus in jaculis arcum sibi sumit Acestes,
Itque per aerias missa sagitta vias:
Protinus in cœlo pennata exarsit arundo,
Splendoremque rubens concipit æthra novum.
Quis negat accensam mansisse sub æthere flammam?
Accepit jaculum, reddidit aura facem.

An Forma det Esse Rei? Affr.

DUM celebrant Proceres Italo de more choreas,
Et sumit formas ludicra turba novas;
Nobilis hic latitat servi sub veste, pedesque
Aulicus indocili rusticitate movet.
Hic tenet in gremio simulatus Phyllida pastor.
Hic Rex fictitius sceptra tremenda gerit.
Hic saltat juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus;
Deperit ignotum ficta puella procum.

Moschus-

Moſchuſque & *Suecus* conjuncti pace feruntur,
Et coit in mixto *Turca Scotuſque* choro.
Quid non forma poteſt? *Turcam, Suecumque, Scotumque,*
Regem, Paſtorem, Phyllida, Larva facit.

9.

An omne Vivens, quamdiu vivat, nutriatur? Affr.

HOſpes præpinguis bene notæ, *Cobbe*, popinæ,
Quam tibi in immenſo corpore tenſa cutis!
Ut gravis, atque oneroſo ſtas abdomine tardus!
Prominet ut lato naſus in ore ruber!
Cum nullam aſſumas eſcam, ſtomachumque ruentem
Appoſitæ nequeant ſollicitare dapes,
Pinguia quid reparat ſudantis pondera maſſæ?
Cur tibi non tenuat membra caduca fames?
En! ait, exſiccans grandem pro more lagenam,
Is bene paſcetur, qui bene potus erit.

An

An Idem ſemper agat Idem? Affr.

FUnebris exanimos qua moles excipit artus,
Albaque marmoreus contegit oſſa lapis,
Hic poti conjux heu! corpus inutile ſponſi
Officium obliti connubiale locat.
Exit; &, hac noſtra correctus fraude, maritus
Ad cyathos poſthac parcius ibit, ait.
Mox umbræ ſimilis, triſti circundata palla,
Et crepitante pedem compede vincta redit.
Quiſquis es, exclamat, noſtræ novus incola ſedis,
Umbrarum miſeros, Umbra, capeſſe cibos.
Ille graves oculos, atque arida guttura pandens,
Parce, inquit, patinis, & mihi pone ſcyphos.
Me ſitis æterna, haud ulli ceſſura liquori,
Torret, & arenti ſemper in ore furit.
Stat fixum, quocunque feror, potare; Deorum
Seu dentur latices, ſeu Stygis unda, bibam.

21.

An detur Vacuum? Negr.

COtta puellari gratus conviva coronæ,
Fibula cui baculum, pyxida dextra gerit,
Garrit fabellas, & odores naribus haurit,
Quos plena Hiſpano pulvere pyxis habet:
Surripit hanc tandem Phyllis laſciva loquenti:
Protinus, amota pyxide, Cotta ſilet:
Scilicet huic debet ſua verba, huic mille placendi
Artes, huic quicquid Cotta decenter agit.
Ne tamen hinc credas vacuum caput eſſe, cerebri
Si minus, at ſatis hoc pulveris intus habet.

22.

An Quicquid recipitur ad Modum recipientis recipiatur? Affr.

DUM ſedet ante focum, & fabellas garrit aniles
Undique virgineo Soſtrata cincta choro;

Fors medias inter voces carbo exilit igne
Cum ſonitu, & vetulæ decidit ante pedes.
Hunc anus inſpiciens, mecum ô plorate, Puellæ,
Exclamat, mortis jam prope tempus adeſt.
En quam Sandapilæ ſimilis! (miſerabile ſignum)
Ut timeo cineres ne tegat urna meos!
Somnia contemnunt illæ delira; videtur
Hic oculis, inquit quæque, crumena meis.
Nubilis hinc dotem ſperat ſibi virgo, feretrum
Unde ſibi tumulo proxima fingit anus.

An Quicquid ſit in Intellectu intret per Senſus? Affr.

CUM nondum plenas didicit puer edere voces,
Nec novit certis prima elementa notis;
Præbet litterulas, & librum mater edulem,
Ut, quarum diſcit nomen, Alumnus edat.

Ille

Ille novi mira capitur dulcedine libri,
Et doctas avido devorat ore dapes:
Scilicet in ſolo diſcendi cauſa palato eſt;
Et vis ingenio creſcit, ut eſca gulæ.

An Motus violentus ſit diuturnus? Negr.

CONduntur tumulo dum conjugis oſſa, fidelis
Irrigat immodicis fletibus ora Cloë.
Ejulat horrendum; vellit, laceratque capillos;
Tundit & immiti pectora pulcra manu.
Me miſeram! ingeminat, tali viduata marito
Heu! quid agam? cur non hæc habet urna duos?
Certum eſt in tumulum memet demittere eundem:
Cum tam dilecto conjuge dulce mori eſt.
Vix tandem, magnis comitum clamoribus acta,
Paſſibus it tardis, & ſua tecta petit.
Sæpe tamen ſiſtitque gradus, oculiſque retortis
Sæpius ad tumulum reſpicit ægra Viri.

Jamque domi vanos ſatagit renovare dolores,
Flet noctem inſomnis, nec datur ulla quies.
Hos inter miſeræ gemitus lacrymaſque querelaſque
En! procus alter adeſt, cras nova nupta Cloë eſt.

25

An Anima ſit tota in toto & tota in qualibet Parte? Aff^r.

UT lepido Vates docuit nos carmine, ſenſim
Verticem ab extremis artubus *Alma* petit.
Dat primum pedibus motum; mox cruſque genuque
Occupat, & facili verſat utrumque gradu.
Mox circum Cottæ præcordia ludit amantis,
Et lento torret Phyllidis igne jecur.
At caput attingens, cerebrique palatia captans,
Præſenti imperio cætera membra regit.
Hinc, cum ſe fidium movet ad modulamina Laïs,
Per totum fundi corpus anile putes;

Cum

Cum tamen indefessa effutit jurgia lingua,
Non alium credas posse tenere locum.

An Anima sit ex Traduce? Negr.

CUM voces sciret Marcus jam reddere, Fili,
Sæpe pater dixit, tu mihi Rhetor eris.
Protinus insignes juvenis defertur Athenas,
Traditur & curæ, docte Cratippe, tuæ.
Sæpe pater duras partes agit ipse magistri,
Officiumque pio Tullius ore docet.
Nil puero prodest facundum audisse Cratippum,
Nil præcepta valent vel tua, Marce pater.
Quin, Cicero infelix, vano jam parce labori,
Natura inceptis obstat iniqua tuis.
Possideat gazas, & rura paterna; parentem
Luminibus referat Marcus, & ore suum;
Nil ultra sperare licet: mentem indere nato
Dii soli poterunt, quam tribuere patri.

27

An Actio & Passio sint inter se dissimilia? Affr.

CInna veternosus, rabida Battusque phrenesi
Efferus, in socio discubuere toro.
Insilit in comitem subito celer impete Battus,
Ignavumque dolat fuste manuque caput.
Excutitur longo multatus Cinna veterno,
Percussoque fugit corpore torpor iners.
Interea Batto repetitis ictibus ægro
Obrepit requies blanda, novusque sopor.
Fœlix disparitas morbi! revalescit uterque;
Fortia quique dedit verbera, quique tulit.

28

An Natura abhorreat a Vacuo? Affr.

CUM primum Isiacas subeat puer inscius arces,
Humescit modicis sobrius ecce! scyphis:

Mox

Mox comes ad cyathos ſegnem irritare laborat,
Tyro magis ſapiens, quod toga ſciſſa magis;
Cur ſic divinos expalles Nectaris hauſtus?
Sic olim memini, ſic ego cautus eram.
Unde oræ cyathis, tibi quos fabricantur in uſus,
Ad ſummas vinum ni geniale fluat?
Si verum dixit, veri celeberrimus autor;
Nil Natura parens, quod ſit inane, probat.
Hinc ſeu parca mihi fuerit, ſeu copia vini
Largior, uſque tamen pocula plena bibam.
Te, Natura, ducem ſequar uſque, parabitur æquus
Vel Bacchus calici, vel tibi, Bacche, calix.

29.

An plures Formæ ſubordinatæ ſint in eodem Compoſito? Aff^r.

SI ſectum explores propiori lumine granum,
Arbor in arboreo ſemine parva latet.

Hic

Hic vehit occultos tenuiſſima fibra liquores,
Explicat hic tremulas planta minuta comas:
Maternæque minor ſuccreſcit ſurculus umbræ,
Et tenera in tenero palmite gemma tumet.
Hic etiam exigui texunt umbracula rami,
Aſpice venturis tegmina grata viris.
Poma vide graciles nondum curvantia ramos;
Quæ vagus anguſto tramite ſuccus alit.
O ubi non lateant formæ! cum ſemine pomus
Clauditur, & pomo cuilibet hortus ineſt.

30

An Alteratio ſit Motus continuus? Affr.

CAnidiæ, ut memorat carmen triviale, palato
Hærebat nullos lingua datura ſonos.
Vir, fortunatus nimium, ſua ſi bona norat,
Phœbeam Damon ſollicitavit opem.
Annuit arridens precibus; linguaque ſoluta,
Damnatum voto juſſit abire Deus.

Illa

Illa virum æterno vexat clamore, tacentem
Non ſol decedens, non videt orta dies.
Audi iterum, exclamat Damon, iterum annue votis;
Quamque loqui dederas, Phœbe, tacere jube.
Cui Deus — Heu! facile eſt muliebrem ſolvere linguam,
Non penes eſt ipſos quam religare Deos.

31

An Natura intendat Monſtrum? Negr.

EST operæ pretium urbanas luſtrare tabernas,
Et varia ad varias pendula monſtra fores.
Hic rubra inſuetis pandit leo tergora villis,
Hic trucis effigies cœrula pendet apri.
Parte alia porcus metuendis ſurgit in armis,
Et levibus pennis gryphes ad aſtra volant.
Plumarum nigro tectus velamine cygnus
Non nunc in terris rara videtur avis.
Non tales unquam partus dedit Africa; Zeuxi,
Hæc monſtra è cerebro proſiluere tuo.

32

An Viventia habeant Quantitatem definitam? Aff^r.

GRamineis ingens dum bos ſpatiatur in agris,
Fors ranæ pullos calce premebat humi.
Utque erat ad triſtem delata injuria matrem,
Vindex eliſæ prolis amore furit.
Turget in immodicum ſubito bovis æmula ventrem,
Et tumefacta rogat, Bellua tanta fuit?
Filia — parce, precor; rumpas licet ilia, nil eſt;
Hæc ranæ moles convenit, illa bovi.

33

An Aliquid moveat Seipſum? Neg^r.

AMiſſam deplorat anus furioſa crumenam,
Perq; omnem querulo perſtrepit ore domum.
Mox ancillarum compellat nomine quamque;
Multaque fœminea calliditate rogat.

Hæc

Hæc ſe ſuſpectam graviter fert: illa celebrem
Spectata ſemper ſe probitate crepat.
Hæc, nunquam viva hinc abeam, veſana precatur,
Attigerit nummos ſi mea dextra tuos.
Quæ fuerit, nihil, inquit anus, moror; hoc ſcio, dextra
Surripuit nummos illa vel illa meos.

34

An Quantitas ſit diviſibilis in infinitum? Aff^r.

CUM tanto vobis conſtet bos integer auro,
Scire velim, Lanii, profluat unde lucrum.
Exta ſuum apportant pretium, coriumque, caputque;
Binaque quæ criſpa cornua fronte micant.
Præterea variæ fiunt de corpore partes;
Terga, humeri, lumbi, pectora, crura, pedes.
Inque ſuas hinc particulas pars ſingula migrat;
Hinc ſua prandia dux, hinc ſua miles habet.

Hinc, oboli pretium, mihi fertur cœnula: noſter
Hei mihi! particulas dividet uſque coquus.

An Elementa ſint gravia, & levia? Affr.

SI pluviæ metuens, tempeſtatiſque futuræ
Scire velis qualem ſpondeat aura diem;
Conſule ſpectandum vitro candente Cylindrum,
Qui docet alternas quas ſubit illa vices;
Incluſo micat argento, quod leniter actum
Aëre, per vitreas itque, reditque vias.
Seu denſata parant deſcendere nubila, ſidit
Maſſa ſequax, pluvii nuntia mœſta Jovis.
Seu fugiant, fugit illa prior, prænuntia ſudi
Emicat, & ſummum mole gravata petit.
Deſcripti Aſtrologis valeat labor irritus anni,
Et quod præſago de pede garrit anus.
Mercurio didici certiſſima ſigna magiſtro,
Quem gravat aura levis, quem levat aura gravis.

An

An Vita consistat in Calore? Affr.

QUO non sit ventis aditus gallina recessum
Quærit, & exiguos construit arte lares.
Hic uteri deponit onus, prolique futuræ
Incubat, assiduo tecta calore fovens.
Non illi liquidi fontes, non pabula curæ,
Sed fido conjux ore ministrat opem.
Scilicet hoc metuens, lædant ne frigora nidum,
Vivaque fœcundus deserat ova tepor.
Tum nulli rumpent ovorum tegmina fœtus;
Et sterilem nidum mœsta queretur anus.
Crescit materno paulatim vita calore;
Vita, calore una diffugiente, fugit.

An Corruptio sit Rebus Naturalis? Affr.

RUre suburbano templum est, ubi Dædalus olim
Nescio quis, mira finxerat arte senem:

Pen-

Pendebant cani rugoſa a fronte capilli,
Idem, ſi ſpectes cætera, calvus erat.
Dextra manus tenuit falcem, manus altera vitrum,
Fluxa ubi labentem ſignat arena diem.
Huc quondam ſtudio viſendi ruſtica pubes
Venit, & Aonii docta juventa chori.
Immundo nunc fœda ſitu truncatur imago,
Fractaque dimidia vix tenet arma manu.
Quid nos ſperemus miſeri? quæ digna querelis
Materies? ipſum ſe quoque Tempus edit.

An Omnia agant per contactum? Aff^r.

MIra fuit, * Cenſor Britonum, tibi virga, viriles
Inſidias retegens fœmineoſque dolos.
Obliquis oculis ſiquis, vultuque modeſto
Decipit, & ſpeciem religionis habet;
Seu quis pauperiem gemmis auroque ſuperbus
Diſſimulat, fractas ſplendidus inter opes,

* Tatler 237.

Tu facili prodis variantem Protea tactu,
Nullaque ſolertem fallit imago manum.
Intacti, Thraſo ferus eſt, & caſta Corinna;
Si virgam admoveas, hic tremit, illa parit.

---

39 *An Sonus ſit Luce velocior?* Negr.

XAntippe tacitas ſub pectore concipit iras,
Si vir forte redit potus ab urbe domum.
Ille videt tetricæ nebuloſum frontis amictum,
Et tempeſtatis ſigna futura timet.
Fulgur ab ignitis pernix ſcintillat ocellis,
Sero ſed certo fulmine lingua tonat.

---

40 *An Aer ſit Soni Vehiculum?* Affr.

ASpera plus ſolito cum ſævit bruma, *Dierus*
Concretas multo frigore mœret aquas.
Ignoſces, inquit, Lector mihi Candide, ſi nil
Portet ab externis charta hodierna plagis;

Nau-

Nautæ obducta gelu Batavo nunc obſtitit unda;
Navibus aſſuetæ nec patuere viæ.
Spes tamen eſt, perſtet Zephyrus modo flare, ſoluto
Poſſe brevi puppes ire redire freto.
Tum demum, Britones, multum vobiſque mihique,
Cum tulerit naves, advehet aura Novi.

An Aliquid agat in Seipſum? Neg^r.

CAmpanas injuſſa movet dum forte juventus,
Plebs rogat, inſoliti quæ nova cauſa ſoni.
Alter ait, certe non hæc natalis Elizæ,
Non Georgî; non quæ te tulit, Anna, dies.
Non fuſos hoſtes, non captam audivimus urbem;
Hoc, quæ claudit iter navibus, aura vetat.
Suſpicor, alter ait, modo nuptam Amaryllida, Damon
Sat ſcio jamdudum hanc ſollicitavit amans.
Clarus vulgatis ſalibus, quid quæritis, inquit,
O ſtolidi? Funis vellitur, inde ſonus.

42

An Natura ſit perfectior Arte? Affr.

ASpicis ut frondet Zeuxea pampinus arte!
Ut fulcit patulas ulmus amica comas!
Brachia purpureis curvantur onuſta racemis,
Aligerumque trahit penſilis uva gregem.
Nequicquam dextra pictor calamoque ſuperbit;
Nequicquam falſas explicat arbor opes.
Mulceat ut curas, ut corda oblita laborum
Exhilaret, ſuccos adde, Lyæe, tuos.

43

An productus ab uno Agente effectus idem numero produci poſſit ab alio? Negr.

DUM plectro Fidicen molli reclinis in herba
Orditur varium, Sole cadente, melos;
Fortè ſuper Philomela querens, miſerabile carmen
Siſtit, & inſuetos ebibit aure ſonos.

Nec mora; nunc alterna canens, quodcunque peritis
Exprimit hic digitis, gutture reddit avis.
Si fila argutos referant crepitantia rivos,
Hæc quoque deciduæ murmura fundit aquæ.
Si nervus bellum ſimulet, ſonitumque tubarum,
Hanc clangente putes ære ciere globos.
Non tulit hoc Fidicen. Hos, hos refer, Æmula, cantus
Si potes, & citharæ cedet inanis honor.
Dixit; & arte nova diſcrimina mille modorum,
Qualia vix unquam luſit Apollo, dedit.
Motibus his impar, impar, Philomela, dolori
Deſuper in chordas exanimata cadis.
Salva tamen laus eſt; carmen ſi prima tuliſſes,
Neſciſſet numeros ille referre tuos.

44

An Ars ſit perfectior Natura? Negr.

CUM Cambri nuper celebrantes annua feſta,
Geſtarunt patrii ſigna decuſque ſoli;

Cot-

Cottilus en! tetros porri faſtidit odores;
Hinc lepidum decorant ſerica ſigna caput.
Non tulit hoc ſocius furiis accenſus, & inquit,
Sic tibi Cambrorum, Perfide, ſordet honos?
Nec *Winifreda* tibi, generis nec *Taffius* autor;
Tu, Puer, urbani bella propago viri.
Non ea *Davides* noſtras inſignia geſſit,
Cum ferus hoſtiles proruit enſe globos.
Non ea ſunt cyathis noſtris injecta quotannis,
Quæ ſucco tingunt vividiore merum.
Ne, Puer, iſta geras; nativi vimina porri
Et redolent melius, ſplendidiuſque nitent.

45

An Idem ſit cauſa Diverſorum? Affr.

DUM læta inſtaurat Macedo convivia victor,
Illuſtri procerum cinctus utrinque choro;
Aonii orditur fidicen modulamina cantus,
Et celeri argutum pectine pulſat ebur.

Arma canit, ſtrageſque virum, diroſque tumultus,
Raptaque victrici mille trophæa manu.
Protinus aſſuetos, Macedo, exardeſcis in ignes;
Spirant belligerum pectora plena Deum.
Mox miſerum plorat carmen lugubre Darium,
Et quantas ſubeant ſceptra ſuperba vices.
Quo tibi nunc animi, Victor? ſtratum ingemis hoſtem,
Humenteſque rigat lacryma multa genas.
Inde leves Veneris cantantur mollius ignes;
En! Heros, tenero victus amore jaces.
O! quam Phœbeæ miranda potentia dextræ,
Si, Macedo, quicquid vult Citharædus, eris.

An Omne Corpus componatur? Affr.

DUM Granta migrare paras, patria arva patremq;
Viſurus, laceram ponis, Alumne, togam,
Mox circum volitans notum ignotumque laceſſis,
Inſtrumenta equiti quælibet apta petens.

Suf-

Sufficit hic enſem longum, latum ille galerum;
De latere alterius cingula rapta geris.
Eſt qui diſſimiles ocreas tibi commodat, uni
Hic properat calcar ſuppeditare pedi.
Hic tibi cum modico præbet femoralia nummo;
Collectam in nodum commodat ille Comam.
Sic compoſtus ovas pavone ſuperbior, at mox
Cum Grantæ repetas mœnia, corvus eris.

47

An Natura intendat Monſtrum? Negr.

HOrtus ad Auroram Phœbeis fertilis herbis
Stat * *Bobartanæ* cura laborque manus.
Hic Corydon vaſtos immani mole Gigantes
Aſpicit, & pallens ſtat, revocatque gradum:
Terribiles horret vultus, oculoſque minaces,
Pectoraque, atque humeros, clavigeraſque manus.
Ruſtice, ſume animos; non hic Titania cernis
Monſtra, licet Tellus his quoque mater erat,

* Bobart Nuper Profeſſor Academiæ Botanicus.

In-

Innocuas tantum taxos Natura creavit;
Humana geminus ſurgit ab arte Gigas.

An motus ſit menſura Temporis? Affr.

A Verſus ſtudiis, nec Muſæ deditus ulli
Multiplici longum conterit arte diem.
Mane novo captat rorantis frigora campi;
Septimaque in lento ponitur hora gradu:
Octava notæ petit otia grata popinæ,
Nonaque ad placidas Iſidis errat aquas:
At decima flores inter plantaſque vagatur,
Luſtrat & arboreos terque quaterque duces:
Undecima celeri properat per compita greſſu,
Et redit ad modicas, ventre monente, dapes.
Hunc anus aſſueta redeuntem conſpicit hora,
Et prandendi, inquit, jam mihi tempus adeſt.
Non ego * *Knibbeas* artes, non conſulo ſolem;
Certius hic medium denotat erro diem.

* Knibb Oxonii Faber Horologicus.

49

An Accretio fiat per Nutritionem? Aff^r.

MArtis quôque die juvenum robusta caterva
Pransura, *Eastcourto* Præside, sponte coit.
Hic, quibus indulsit stomachum Natura voracem,
Supposito torrent frusta bovina foco.
Non illic melimela aut pulmentaria cernes,
Non, quas ostentat Gallica mensa, dapes.
Attenuent hostes bellaria macra, Britannis
Hæc crura, hos humeros terga dedere boum.

50

An Natura aliquid agat frustra? Neg^r.

O Quam multiplices, Alôe Sylvestris, in usus
Occiduo, Fœlix Arbor, in orbe vires!
Tu domibus postes validas, ratibusque carinas,
Et trabibus clavos sufficis ipsa tuis:
Quid folia edicam molli canentia lana,
Plurimaque in spinis ut tibi frondet acus?

E ramis epulas, patinas ex cortice præbes,
Nativoque geris pocula plena mero:
Fœcunda ſuccos fundis radice ſalubres,
Ægraque Pæonio flumine membra lavas.
Planta beata! tui eſt pars quælibet utilis, & par
Omnibus humanis uſibus una venis.

An ſimile agat in ſimile? Negr.

BElla inter medicos pluſquam civilia fratres
Famæ dulcis amor traxit, & Artis honos.
Ambos æger opem petit; at ſententia diſpar
Surgit, & alternæ diſplicuere viæ.
Lis extemplo oritur, convicia mutua fervent,
Et fratri intentat frater uterque necem.
Interea Vetulæ faciem mentitus * Apollo
Proli rite timens ſubtrahit arma ſuæ.
Ne, Pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella;
Sentiat iratas morbida turba manus:

* Diſpenſary Canto 5.

Di-

Dirigit incaſſum fraterna in viſcera telum
Dextera, ab ægrotis non ſine cæde redux.

52

An Cauſæ ſint ſibi invicem Cauſæ? Affr.

CHartula, quæ ſignat deſcriptos ordine menſes
Dicens quæque dies quas ſubitura vices,
Paupertatem, inquit, dant belli tædia, pacem
Paupertas; populo copia pace venit;
Divitias pleno diffundit copia cornu,
Invidia hinc oritur, quæ nova bella parit:
Sic quæque alterius cauſa eſt alterna; parentem
Nata parit; nata eſt, quæ fuit ante parens.

53

An quicquid recipitur ad modum recipientis recipiatur? Affr.

MUſarum ſtatuas Corydon dum ſuſpicit, ornant
Quæ *Clarendoniæ* culmina celſa domus,

Thyrſi, inquit, magnæ non ora agnoſcis Elizæ?
En! arcto amplexu Biblia Sacra fovet.
Non ita, Thyrſis ait; quam tu tibi fingis Elizam,
Anna eſt, virginibus cingitur ecce! ſuis.
Venerat Oxonium, memini, ſic ora ferebat,
Ibat fæmineo ſic comitata choro.
Riſit, & ô! cæcas mentes, Fanaticus inquit,
Virgo Maria hæc eſt fœmina, *Miſſa* liber.
Jam celſis Idola locis ſtatuuntur, eaſdem
Roma colit meretrix, & Rhedycina Deas.

An Omnia agant per Contactum? Affr.

VIcino ex horto redolentia poma Magiſtro
Arguitur coram ſurripuiſſe puer.
Qui fuerint comites, iterumque iterumque rogatus;
Nemo, inquit, certe nemo, Magiſter, erat.
Diductâ hinc rite, & poſita poſt tergora veſte
Tollitur, éque humeris flebile pendet onus.

Nil

Nil movet hunc pudor, aut oſtenſi viminis horror,
Nil vibrata ſuper terque quaterque manus.
Quin jam dextra ruat vindex; quos integra fures
Diſſimulat, prodet mox lacerata cutis.

55

An Viſus fiat receptis Objecti Imaginibus? Affr.

EXercens Phœbo ſacras *Ogilvius* artes,
Vertit in Angliacos *Arma Virumque* modos.
Fingitur Æneas quantum ô! mutatus ab illo,
Quem ſtricto ardentem finxerat enſe Maro.
Non ſolito aſpicimus torquentem turbine telum,
Non clypeo inſignem, non pietate gravem.
Vatis deficiunt vires; ſuccurrit Apelles,
Et ſimilem oſtendit chartula picta ducem.
Hinc Teucrûm in pueris agnoſcimus ora parentum,
Hinc ſuus Aſcanio fulget in ore decor.

Magnanimi Herois vultum, rerumque colores,
Quos non interpres Muſa, tabella refert.

An omnis Actio proveniat a Forma? Affr.

COmicus in ſcenam cum prodeat † hiſtrio, plauſu
Protinus ingenti læta theatra fremunt.
Hic, duce natura, didicit magis omnibus unus
Spectantum riſus mille movere modis:
Rideat, immenſo reſonant ſubſellia riſu;
Decidat ex oculis lacryma, riſus erit:
Si nil dicat, agat ſi nil, riſus tamen ille,
Quos nequeunt alii voce, tacendo movet.
Nil opus eſt, Comœde, tuo, nec acumine Vatis,
Sufficit innumeros vel tua Forma ſales.

An detur Intellectus? Affr.

ACcumbens menſæ Divum Deus ipſe Cupido
Hæc ſupero fertur dicta tuliſſe Jovi:

† Pinkethman.

Alma

Alma Ceres curvo tauros ſubmittit aratro,
Flavaque ridentem ſpica coronat agrum.
Delia ſylveſtrem lunat juveniliter arcum,
Et ſequitur fortes fortior ipſa feras.
Qui femore exierat, vitem conſurgere fecit;
Quæ cerebro exorta eſt, nil tua Pallas agit.
Protinus ipſe Pater; Quis Pallada dicit inertem?
Quodcunque aſpicitis, Palladis extat opus.
Nam quæcunque olim mea dextera finxerit, ante
Finxerat in cerebro Diva Minerva meo.

58

An omnia habeant determinatos ſui Fines? Aff^r.

TErrarum imperium *Lodoïx* meditatus, avitos
Claudere præſcripto limite ſpernit agros.
Nulla, ait, audaces defendent mœnia Belgas,
Quos fruſtra munit ſæpe refuſa palus.

Arma

Arma feram Victor longe poſt oſtia Rheni,
Et mihi captivis ſerviet Iſter aquis.
Gens Hiſpana ultro ſe tradet & ultima Thule,
Fulvaſque in Ligerim tranſvehet Indus opes.
At Tu, qui ſpondes demens tibi talia, diſces
Ex Anna, imperii qui tibi finis erit.

An Calor ſit a Motu? Affr.

O Te felicem juvenem! quem nulla Decembris
Frigora, nec glacies, nec fera terret hyems.
Tu non extructos accedis mollis ad ignes,
Nec libet ignavo membra fovere toro.
Fertne nivem Boreas? cellam deſcendis ad imam,
Plurimaque immenſo pondere ligna refers:
Et quoties mordax urit te frigus, onuſtus
Præcipitem toties iſque rediſque viam.
Prodigus ante focum ligno ſe torreat uſto,
Tu prudens melius ligna ferendo cales.

60

An Sensatio sit in Cerebro? Affr.

FUstibus armati, festo pro more, coloni
Tityrus, & Corydon rustica bella movent.
Congressis plebs æqua favet, dum pluma galeri
Versicolor stimulos addit utrique novos.
Hic crassum ostentat caput, ingentesque lacertos
Horridus; ille agiles aptat ad arma manus;
Protinus insultans duro hostem fuste lacessit,
Defricat & crebro vulnere utrumque latus.
Immotus Corydon repetitos despicit ictus,
Dum memor opposita protegit ora manu.
Quin lateri nequicquam infigis, Tityre, plagas;
Sentiri si vis verbera, tunde caput.

61

An Privatio sit Principium? Affr.

IN cella bibulus cum caupo reconderet ima
Nondum pura satis vina, nec apta bibi:

Hic,

Hic, inquit, longo factus maturior ævo,
Ipſe animos ſumes, Bacche, dature novos.
Tempus erit, cum tu pleno redivivus in auro
Multa feres juveni gaudia, multa ſeni.
Eſt tamen expectanda dies; non hæc tibi virtus,
Non hæc vita prius, quam moriaris, erit.

An Bruta per Inſtinctum Opera perficiant? Affr.

PUlicis exigui tenues per colla catenas
Nexuit artifici pulcra Corinna manu.
Sic, inquit, pavo Junoni chara, palumbes
Sic Veneri; Pulex, tu mihi gratus eris.
Hic nova laſcivo teſtatur gaudia ſaltu,
Et cadit in molles parvulus erro ſinus:
Mox ſuadente ſiti, tanta eſt ſolertia, fertur,
Qua ſanguis roſeo ſemper in ore ſedet.

Cre-

Credideris illic ſemper voluiſſe morari,
Nec blandas unquam deſeruiſſe genas.
Jam ſecura potes nexas laxare catenas,
Non opus artifici, Pulcra Corinna, jugo.
Dum licet hic paſci, licet hac in ſede morari,
Non tua captivum vincla, ſed ipſa tenes.

63

An Aliquid producatur ex Nihilo? Negr.

FErt preſſo impletã dum Phyllis ab ubere mulctram,
Venturæ enumerans commoda ſortis, ait,
Ex hoc lacte novo mihi nummulus affluit, ex hoc
Ova emo, pennatum mox paritura gregem.
Ex hac corte ſuem mihi comparo, obeſa parit ſus,
Inde mihi vitulum mercor, & inde bovem.
Mox numeroſus adeſt procus, & connubia læta;
Quæ Mopſa invideat, quæ Galatea mihi.
Hæc inter titubat Phyllis, ſtupefactaque mulctram
Delapſam madidos proſpicit ante pedes.

Porcellos, vaccas, gallinas, ova, maritum
Cum lacte amiſſos Phyllis egena gemit.
Scilicet e mulctra quæ proventura canebat
Phyllis, ſtant mulctra ſtante, cadente cadunt.

64

An Luna ſit habitabilis? Negr.

CUM tabula *Hevelius* Lunæ depinxerat agros,
Quæque inter montes flexibus errat, aquam;
Aſtronomos inter deſcriptum dividit orbem;
Has, *Keplere*, tenes, has, *Galilæe*, plagas.
Vendicat hos campos, celſaſque *Copernicus* arces;
Hoc nemus in medio poſſidet orbe *Tycho*.
Quid proſunt dominis ſua prædia? Jugera fundi
Vendere ſi cupiant mille, quis emptor erit?

65

An Bruta ſentiant? Affr.

ASpice quam pulcram ſuſpendit aranea telam!
Quam varia tenuis ludit in arte faber!

Hic

Hic ſibi perfugium texit fidoſque receſſus,
Hic certam muſcis inſidioſa necem.
Hinc crebro exuvias, & pabula lauta reportat:
Secura hoſtiles deſpicit inde minas;
Seu puer accenſo feriat laquearia lychno,
Seu ſurſum ſcopas ſedula vibret anus.
Has artes quæ nunc molitur aranea, quondam
Humanis nituit conſpicienda genis.
Artis adhuc retinet veſtigia priſca; nec ultra
Fœmina, fœmineos nectit, ut ante, dolos.

66

An Caſus ſit in rebus? Aff^r.

VAllentine, tuum referunt cum tempora Feſtum,
Nympha virum, nympham vir ſibi quiſq; cupit.
Læta juventa coît, calamos chartamque requirit;
Phyllidis hic nomen ſcribit, & ille Cloës.
Miſcentur ſortes concuſſa ſæpius urna;
Hinc omnes avidas ingeminare preces.

Hic contingat, ait, Phyllis mihi, Magne Cupido,
Ille, mihi pulcram da, Venus alma, Cloën.
At non alma Venus, Veneris non Filius, urnam
Fortuna incerta dirigit una manu.

An Aer Soni ſit Vehiculum? Aff^r.

DUM ciet æternas conjux aſperrima rixas,
Et pax nulla domi eſt, otia nulla foris;
Non fert indignans Sartor, ſed fune ligatam
Mergit vicino terque quaterque lacu.
Illa ſuperfuſis fruſtra bacchatur in undis,
Fruſtra complosas vibrat anhela manus.
Cui Sartor, ſatis eſt, Conjux, abſiſte moveri,
Quas prius aura tulit, comprimet unda minas.

An detur Vacuum? Neg^r.

CHirurgi humanos ſueti ſcrutarier artus,
Ridiculum * Cottæ dum ſecuere caput,

* Spectator 275.

Cer-

Cernere erat latebris tenuem concreſcere fungum,
Qui ſimilis cerebro, nec tamen illud erat.
Hic jacet ingeſtus, quem mittit Iberia, pulvis;
Illic difficilem carmina queſta Chloën.
Has longo anfractu ſervant perjuria ſedes,
Et fictæ lacrymæ, ſolicitæque preces.
Haud ultra ſtatuas, Epicure, in rebus Inane,
Si lepido Cottæ non ſit inane caput.

69

An Motus naturalis ſit in Initio tardior, in Fine velocior? Affr.

Bold

AOnias nuper cum viſeret Hiſtrio ſedes,
Et caperent Tragicos noſtra theatra duces.
Vidi ego *Falſtaffum* vaſta ſe mole ferentem;
Quantus ſub ventris pondere ſudat eques!
Dum vocat ad pugnam lituus, capit ultimus arma;
Dum turbata ruunt agmina, primus abit.

Aja-

Ajacem gradiendo refert, cum fertur in hoſtem;
Cum fugit, Æacidæ dixeris eſſe pedes.

An Cœlum agat in Inferiora? Affr.

MAtutino animat radio dum Memnona Phœbus,
Saxea vocales edit imago ſonos.
Conticet, Heſperias ubi ſol deſcendit in undas,
Atque iterum exorſo perſonat icta Deo.
Ponat Apollo chelyn; modo lumen fundat amicum,
Phœbeam referent Memnonis ora lyram.

An Corruptio unius ſit Generatio alterius? Affr.

O Mihi ſi menſam ſuetus decorare ſecundam
Caſeus adſit opus, Deva, cibuſque tuus!
Ætas cui pinguem tribuit matura ſaporem;
Anni quem tandem perdomuere decem.

Hunc

Hunc jam verſicolor totum putredo pererrat,
Putredo indoctis quam metuenda gulis!
Anguſtos hinc orta terunt animalcula calles;
Et ſcatet innumero verme lacuna frequens.
Lactea maſſa licet pereas, gratiſſima penſat
Interitum proles, quam paris ipſa, tuum.

72

An Senſus lædatur ab excellenti Senſibili? Affr.

ACcumbit menſis dum Tongilianus opimis,
Atque ſibi totos Helluo ponit apros;
Dum pingues turdos, dum pulmentaria, rhombos,
Raroque abſorbet miſta Falerna garo;
Lauta nimis ſubtilem exurdat copia guſtum,
Nec gula delicias luxurioſa ſapit.
Jam non boletum potis eſt dignoſcere fungo,
Nec Vaticanis Maſſica vina cadis.

Quid

Quid melimela ſcaroſque petis, Maleſane? palato
Grata ſatis fuerit fumea perna tuo.
Caviſti ſane cœnando tam bene ſemper,
Ne cœnes unquam, Tongiliane, bene.

73

An Natura Finem intendat? Affr.

DUM pluvia e madido delabitur aëre *gutta,
Confuſa Oceani volvitur inter aquas:
Mox ſortem incuſat, ploratque ignobile fatum;
Cœruleumque movet mœſta querela Deum.
Interea piſcis teſta concluſa patenti
Fit lapis, & clare conſpicienda nitet.
Jamque decus Perſis diademate fulget Eoo,
Regaleſque ornat Maxima gemma comas.

74

An detur Reactio? Affr.

ESuriens victum dum paſſim vipera quærit,
Vicinam fabri fertur adiſſe domum.

* Spectator 293.

Arma

Arma inter positam spectat fabrilia limam;
Arripit, atque novum gaudet adepta cibum.
Sed nimium duras avido depascere morsu
Dum parat illa dapes, vulnere læsa dolet.
Quid ferrum rabido nequicquam dente fatigas?
Et dentes, queis te lima remordet, habet.

75

An Vita consistat in Calore? Affr.

DUM gelidam linquit patriam, Moschosq; triumphos,
Et petit externas Regius erro plagas;
Spernit lenem haustum, vinumque ignobile: virtus
Herois potu nobiliore calet.
Poscit *Nantesios* audax conviva liquores,
Et cyatho miscet fervidiore piper.
Hinc nova Hyperboreo gliscit violentia regi;
Ardet, & hostiles proruit ense globos.
Frustra, Turca, moves lunatus prælia, frustra
Opponis validas, Suecia tota, manus.

Ut par congreſſus fiat, vel, Turca, liquorem
Moſcho aufer, calices vel bibe, Suece, pares.

76

An detur Fortuna & Caſus in rebus? Affr.

MIttitur in ſortem gentis ſpes tota Britannæ,
Et fatum ambiguum continet Urna duplex.
Hinc plebs, hinc proceres ſibi centum millia ſperant,
Hinc dotem, & pulcrum pulcra puella virum.
Quis, Fortuna, tuum ſupplex non numen adorat?
Importuna ferunt quot tibi turba preces!
Munera dum paſſim dextra largiris aperta,
Centeniſque tuos millibus alma beas,
Aſſere promeritas tibi laudes; ô Dea, certe
Non dedit hoc virtus, non genus; omne Tuum eſt.

77

MOpſa, adverſantis Fortunæ crimine ſerva,
Imperium domini ſueta, minaſque pati,

Bis

Bis quinas lucrata, operum ſtipendia, libras,
Sortem emit, immenſas qua ſibi ſpondet opes.
Hac ſpe læta iterum redit ad ſervilia penſa,
Cantillanſque hilare curat, ut ante, domum.
Aut ſternit lectos, aut æra nitentia tergit,
Aut ſcopam in gyros ingenioſa rotat.
* Obvius huic Cenſor Britonum, Salve, Optima Virgo,
Dotatas inter mox celebranda nurus.
Inſtat, Mopſa, dies; cum jam fælicior urna
Sors tibi proſiliens mille talenta dabit.
Tum tibi natales Fortuna rependet iniquos,
Et rerum lætas experiere vices.
Te Dominam expectant, quæ jam laquearia verris;
Et cui ſervieras, imperitabis Hero.

78

An Natura ſit perfectior Arte? Affr.

PRæniteat teneræ rugoſa ut Delia Lyde,
Furtivis ornat tempora calva comis.

* Tatler 124.

Mentitur niveum male ceruſſata colorem,
Atque ori, elapſis dentibus, aptat ebur.
Mox immiſta choris lentum ægra laceſſit Amorem,
At non in vetulis excubat ille genis.
Interea juvenum ſuccendit pectora Lyde,
Nativa melius ſimplicitate placens.
Te ſuccus gemmæque inhoneſtant, Delia; viſa eſt
Lyde pulcra magis, quo minus artis habet.

An Motus ſit Menſura Temporis? Affr.

DUM petit Oxonium muſis gratiſſimus hoſpes,
Wintoniaſque redux portat onuſtus opes;
Tardo vectus equo vicina per oppida fertur,
Et certis ſtadiis itque reditque viam.
Non huic in loculis argentea machina tempus
Indicat, aut horas umbra notata docet.
Progrediendo diem melius diſtinguere novit,
Dumque ſuum peragit, ſcit bene Solis iter.

80

An detur Color in Tenebris? Negr.

DIrigit in Cottam pharetratus tela Cupido;
Hæret & in juvenis pectore fusca Cloe.
Hanc tenebris defensam, & dono noctis opacæ,
Non coma, non nigræ dedecuere genæ.
Currit in amplexus nymphæ nocturnus amator,
Fertur & Albinæ posthabuisse torum.
Ad Dominam accedat, quisquis te non amat, inquit,
Mollior hæc, & non pulcrior illa cutis.

81

An Privatio sit Principium? Affr.

TUcca procax, cujus profert in lumina chartas,
Delicias populi, septima quæque dies,
Lædere qui proceres Britonum, & perstringere gaudes
Intempestivis regia facta jocis,
Jam tibi compages includet lignea collum;
Heu! lepidum ferient ovâ, lutumque caput.

Aspera

Aſpera percipies inimicæ opprobria plebis;
Auribus & raptis tempora manca gemes.
Hinc ſapiens linguam frænabis; parcere noſtris
Auribus incipies, cum periere tuæ.

An Idem ſemper agat Idem? Aff^r.

NAtivo latitans agit otia Fuſcus in agro,
Quo placide Armigeri conſenuere Patres.
Mane torum linquens, & ſponſam vana querentem
Emicat, & ſolito proluit ora ſcypho.
Hinc alacer catulos educit in arva ſagaces,
Aut vulpem, aut leporem per juga ſumma ſequens.
Cum Sol declivi fugiens ſubit æquora curru,
Et jam cœna placet, limina nota petit.
Quos agerent curſus animalia, quoſque recurſus
Convivis inter pocula crebra refert.
Tum potus paſtuſque gradu titubante cubile
Quærit, & irriguo membra ſopore levat.

Sic

Sic idem tranſit, ſemperque revertitur ordo;
Mane ſcyphus, catuli; veſpere cœna, ſopor.
Hiſtorico longos non eſt opus ire per annos;
Armigeri vitam continet una dies.

83

An Idem ſit Cauſa diverſorum? Affr.

HYberni Rufus celebrans convivia feſti,
Cogitur appoſito pervigilare mero.
Cras nimio queritur cerebrum torpeſcere Baccho,
Non joca, non luſus, non placuere dapes.
Languentem potor vetus aſpicit Aulus, & inquit,
Quo ceſſit tenui mens tibi victa malo?
Sume iterum cyathos; miranda potentia vini eſt:
Nocte ferunt morbum pocula, mane fugant.

84

An Aer ſit Soni Vehiculum? Affr.

PUppis * Hyperboreas inter ſtat fixa pruinas,
Alget perpetua qua *Nova Zembla* nive:

* Tatler 254.

Fri-

Aëre concreto, ſonus eſt compreſſus, amicum
Navita compellat, vox utriuſque ſilet.
Diffugiente gelu, ſonus eſt reſolutus, amico
Nauta tacente tacet, vox utriuſque ſtrepit:
Auribus adveniunt perjuria, vota, preceſque,
Plenaque confuſis murmurat aura ſonis.
Quæ durata prius ſtrepitum concluſit hiantum,
Jam liquefacta poteſt aura vel ipſa loqui.

85

An omne Corpus habeat determinatos ſuæ Quantitatis Fines? Aff^r.

RAptus abeſt, ſic te Lectorem charta monebit,
Heſterna *Hampſteadis* nocte caballus agris.
Stellula fronte micat, primo in pede candida labes,
Subfuſcus color eſt, caudaque verrit humum;
Nigra juba eſt, caput argutum, curta auris; & annus,
Proxima cum vireant gramina, quartus erit:

At

At certam cautus menſuram ante omnia ſerves,
Hanc mutare poteſt nullus Agaſo notam.
Ungula ab extrema, bene ſi metiris, ad armos
Bis ſeptem poteris dinumerare manus.
Non equus ille meus ſi vel paulum altior extet,
Sive minor fuerit non equus ille meus.

86

An ſint plures Animæ in uno Vivente? Neg^r.

UNguibus infixis ludens circum ora Corinnæ
Dilacerat roſeas felis amata genas.
Vulneris impatiens virgo exardeſcit in iram;
Sævit, & infenſas adjuvat ira manus.
Mille jacet tandem repetitis ictibus hoſtis,
Vitaque cum gemitu non revocanda fugit.
Ira cadit, ſubit inde dolor: jam, Nympha, ſodali
Quam velles animas fata dediſſe novem!

An Sensus lædatur ab Objecto nimis excellenti? Affr.

QUA fanum augustum sublimi vertice surgit,
Et fido Regum contegit ossa sinu;
Hic *Busbeiani* Pario de marmore vultus
Spirant, Phidiacæ gloria prima manus.
Forte hospes sacra hæc lustrans monumenta, magistrum
Ut videt, attonitus stat, revocatque gradum.
Horrescit faciem vel adhuc in morte minacem,
Iratumque oculum, terribilemque manum.
Busbeius quanta puerum formidine vivus
Perculerat, ficto qui quatit ore senem!

An Aliquid agat in Seipsum? Negr.

CUI tulerant ingrata novem fastidia menses,
Jam partus sentit Phyllis adesse diem.

Vicinæ veniunt matres, miſeranſque puellam
Officioſa ſuam Lesbia præbet opem.
Protinus ad ſuperas proles educitur auras,
Viſcera nec ſævus torquet, ut ante, dolor.
Lesbia Lucinæ ſentit mox ipſa labores,
Inque vices miſeram Phyllis amica levat.
Nec ſibi Phyllis opem, nec tu tibi, Lesbia, præſtas;
Tu ſociæ præſtas, Lesbia, & illa tibi.

89

An Idem ſit Cauſſa diverſorum? Affr.

CYclicus oſtentans medicam Podalirius artem,
Invectus macro rura pererrat equo.
Nec mora, inauratas plena de pyxide merces
Promit, certam ægris ferre paratus opem.
Huc, ait, ô Cives, dubiæ queis cura ſalutis,
Quos terret Lethes jam propioris aqua;
Seu ſiſtat gelidus circum præcordia ſanguis,
Seu nimio febris torreat igne jecur;

Siqua diu optatam mulier petit anxia prolem,
Furtivæ aut Veneris triſtior horret onus:
Ecce! unum præſens gravidæ ſterilique levamen;
Frigus & ardores una medela fugat.

90

An omne Vivens, quamdiu vivit, nutriatur? Affr.

PRolixa barba, & longo ſapientior ævo,
Experiens rerum, nec rudis arte ſenex,
Callidus invenit, quam nil frugalius ipſo
Ventre foret, quam ſit non metuenda fames.
Inque aſino primum ſtatuit feciſſe periclum,
Vivendique novam cogit inire viam.
Gramina ſubducit ſenſim, ſubducit avenas;
Atque aſino minuit pabula quæque dies.
Mox macie ſuperante, fameque enectus, inepto
Auriculas domino linquis, Aſelle, tuas.

91

An Agens assimilet Sibi Patiens? Affr.

ALcides Lydæ dum captus amore puellæ
Fœmineo subdit colla superba jugo,
Dedecorat toto testatos orbe labores,
Nil animi, solitæ nil feritatis habet.
Nodosam ponit clavam, spoliumque leonis,
Dependetque humeris murice tincta toga.
Mollem versato lanam deducere fuso
Sustinet, & plenas exonerare colos.
Quem non in sese mulier transformat amantem?
Si sponsa Alciden non sinat esse virum.

92

An omne Corpus componatur? Affr.

UT Nympham condat præstanti corpore, mollis
Omnia terrarum regna pererrat Amor.
Hinc forma, hinc facies, illinc decerpitur artis
Nescia simplicitas, purpureusque pudor.

Ne

Ne tamen aſperitas dominetur ruſtica morum,
Omnia divina temperat arte Deus.
Hæc ubi miſcuerat felici dextera limo,
Naſcitur egregio corpore flava Cloë.
Multiplici Venerem forma ſic pinxit Apelles,
Sic compoſta, Cloë, crederis eſſe Venus.

93

An Bruta cogitent? Negr.

DUM nova ſupponit ſoleis fundamina tritis
Anguſtæ clauſus limite cerdo caſæ,
Aſpicit hunc, ſimilique accingitur æmulus arti
Simius, atque novum ſedulus urget opus.
Nunc tentat rigidas morſu producere pelles,
Nunc ſetoſa agili ducere fila manu.
Non tulit hoc cerdo, ſed multa bile tumeſcens
Rivalem ſæva perdere fraude parat.
Protinus averſo percurrit guttura cultro,
Et radit ſummam terque quaterque cutem.

Si-

Simius hoc videt, atque acto per guttura ferro,
Non expectato vulnere mimus obit.
O fruſtra mentite virum! cum tam bene forma
Faſſa tua eſt hominem, mens tua faſſa feram.

94

An Natura ſit perfectior Arte? Affr.

INduti larvis juvenes mixtæque puellæ,
Heydeger, ad luſus dum coïere tuos,
Forma recens, ipſi ſimilis veſtemque coloremque,
Et paribus ſulcis os perarata venit.
Ambigua trepidat deceptus fronte miniſter,
Segnis & incerti juſſa capeſſit heri.
Ille minax ſævit, dominumque agnoſcite veſtrum,
Nequicquam exclamans, atria tota quatit.
Quin tu præcipitem, bone vir, compeſce furorem,
Nil ori egregio ludicra larva nocet.
Perſonas forſan ſimiles ars fingere poſſit,
Effinget vultum dextera nulla parem.

95

An detur Antiperiſtaſis? Affr.

PHœbeos Daphne Phœnicia ſpernit amores,
Daphne candidior, frigidiorque nive:
Per te, Phœbe, orbis, per te caluere Poetæ,
Unde tuo Daphne non tamen igne calet?
En! tua flamma parit contraria frigora, Phœbe,
Quo magis illa fugit, te magis urit amor.
Ignem ſi glacies, glaciem ſi parturit ignis,
Tu frige, Daphnen ſi caluiſſe velis.

96

An Agens aſſimilet Sibi Patens? Affr.

ORphea ante alios celeberrimus arte Timotheus
Argutum tremulo pollice tangit ebur.
Fila cient varios Pellæo in principe motus,
Invictumque domant imperioſa ducem.
Si mollis teneros moduletur nervus amores,
Mollis in accenſo pectore ludit amor.

Si

Si lugubre canat fidicen, humentia victor
Protinus insolitis fletibus ora rigat.
Martia si resonans imitetur classica cantus,
Ardet, & astantes poscit ad arma viros.
Flexilis ad citharæ sonitum componitur Heros,
Duxque gerit, quicquid luserat ante chelys.

97

An Forma sit divisibilis? Affr.

FOrmam annosa Lyce solers sarcire caducam,
Dum cubitum exutis vestibus ire parat;
Detrahit ornatus, juvenum queis captat amorem;
Abluitur picto falsus in ore color.
Nunc, illum ponit, qui nunquam dormit, ocellum,
Nunc è gingivis læve revellit ebur.
Forma, Lyce, perit, & fugit omnis gratia, dum tu
Mane refingendum destruis artis opus.
Jam si quis juvenum te cernere posset amantum,
Non ultra roseas diceret esse genas.

Collectis paſſim ſpoliis utcunque niteſcas;
Deme oculum, & dentes, tota videris anus.

An detur Reactio? Affr.

JUpiter horrendo miſcet dum murmure cœlum,
En! nate diffiſſa ſtridula pedit anus.
Nec mora, quin ſonitu repetito murmurat æther;
Et vetulæ ſimili perſtrepit aura ſono.
Intonat ille iterum; atque iterum ſonuere cavernæ;
Ter crepuere poli; ter crepuere nates.
Quid reſonum torques fulmen? dum murmura cœca,
Jupiter, ingeminas, ingeminabit anus.

An Quicquid movetur moveatur ab Alio? Affr.

CInna procax fœdis ſpargit dicteria chartis,
Gnarus plebeium ducere fraude gregem.

Cuncta

Cuncta movent bilem ſcribentis: Judice Cinna,
Res male militiæ, res male geſta domi.
Septima quæque dies famoſo fœta libello
Urget inexpletum ſeditionis opus.
Haurit ab hoc docilis vulgus præcepta magiſtro,
Diſcit ab hoc fatuos tingere felle ſales;
Jam fidum increpitat, Cinna dictante, Senatum,
Imperiumque audax & nova jura petit.
Miraris media eductus de fæce popelli
Quî norit ſocium flectere Cinna gregem?
Non opus hoc ſtolidi non hæc facundia Cinnæ;
Artificem Gracchum ſubtrahe, Cinna tacet.

100

An Mores Animi ſequantur Temperamentum Corporis? Negr.

DUM premeret fuſos acies Trojana Latinos,
Et pulſum verſis cederet agmen equis;

Interea pugnæ ſuccedit dia Camilla,
Victoreſque Phrygas Martia Virgo fugat.
Hinc gladio exultat, valida furit inde bipenni;
Nec ſine cæde redux miſſilis haſta volat.
Quam mire in pulcra luſit natura puella!
Pectus ſub tenero corpore quale latet!
Prælia ſi cernas, bellantem Pallada credes;
Si formam ſpectes, mater Amoris erit.

101

An omne Corpus habeat determinatos ſui fines? Affr.

MOenius, inſignis laudator temporis acti,
Sic fertur mores increpuiſſe novos:
Aſpice, ut in pejus fato ſublapſa ferantur
Omnia! quamque ætas poſtera cedat avis.
Quantula degeneres producunt vaſa nepotes!
Quantula nunc hominum corpora terra fovet!

Heu!

Heu! quibus in terris nunc amphora priſca moratur?
Aut tua quo fugit, Flacce, diota capax!
Cantharus, hoſpitii ſummum decus, exulat aulis;
Nigra in cauponis non habet olla locum.
Anguſto miſeri cohibemur limite vitri;
Aridaque exiguus decipit ora liquor.
Antiquos ego laudo ſenes, animoſque capaces,
Et largum, veteres quem ſtatuere, modum.

102

An duo Corpora poſſint ſimul eſſe in eodem Loco? Negr.

ARmatas ducens acies, & robur Achivum
Rex Macedo, excidiis Perſica regna petit.
Darius ruit adverſis inſtructus Eois,
Inque graves pugnas ultima Bactra trahit.
Mox fractas ubi ſenſit opes, fuſaſque cohortes,
Dimidios offert Perſa Orientis agros.

Par-

Participem tanti virtus Pellæa recuſat
Imperii, in terris neſcia ferre parem.
Quî caperet geminos tellus diviſa tyrannos,
Arctior Æmathio tota futura duci?

103

An Accretio fiat per Nutrimentum? Affr.

CUM patriis arvis, catulos vulpeſque relinquens
Londinum agreſtis viſere geſtit Eques.
Belli homines, exile agmen, mirantur euntem;
Hic crura, ille humeros invidet, ille latus.
Cottilus huic forte occurrit bene notus, & unde
Hæc moles, membra hæc unde toroſa, rogat.
Non mihi, reſpondet, nitidis dilecta puellis
Indica, neſcio quas, herba miniſtrat aquas.
Mane novo, pinguem Cerealia pocula potum
Dant mihi, dant fortem terga bovina cibum.
Cur ſim tam grandis noli ultra quærere, crura
Vis mea? jentaclum, Cottile, ſume meum.

104

An Corruptio unius ſit Generatio alterius? Affr.

QUalis ades, *Seniſini*, Itala de gente profectus!
Anglica quam ſuavi voce theatra ſonant!
Tu ſortem interea delamentaris acerbam,
Quæ dedit æterna virginitate frui.
Mollius arboreo latitans ſub tegmine nunquam
Amiſſos fœtus flet Philomela parens:
Hoc tamen, infelix, damnum ſolabere, ferrum
Cantorem reddit, quod vetat eſſe virum.

105

An plures Formæ ſubordinatæ ſint in eodem Compoſito? Affr.

PLurima quæ noſtros fugiunt corpuſcula viſus,
Ars dedit exiguo conſpicienda vitro.
Eſt in fronde nemus, folioque ſub arboris omni
Hærent indigenæ, parva caterva, feræ.

Sar-

Sartoris collum pulex depaſcitur errans,
Pulicis exultat tergore turba minor.
Quam numeroſa cohors latitat ſartore ſub uno!
Et quota pars hæc eſt illius, ille viri!

106

An Motus naturalis ſit in Initio tardior, in Fine velocior? Affr.

IRus iners baculis, & cruri innixus acerno,
Perſonat aſſidua compita nota prece.
Me miſerum! exclamat, chari miſereſcite cives,
Hæc ego pro vobis vulnera honeſta tuli.
Militis infandum veſtri lenite dolorem,
Sic vobis maneant integra membra, precor.
Interea repit greſſu titubante per urbem,
Et ſibi nunc furto, nunc prece quærit opes.
Mox horrendus adeſt baculoque, & mole *Bedellus*;
Et procul atroces projicit ore minas.

Mu-

Mugitum horrendum perterritus excipit Irus,
Incipit & pigros accelerare gradus.
Nequicquam inſequeris, Lictor, jam crura revincta
Explicat, & ventis ocyor Irus abit.

107.

An Motus circularis ſit maxime naturalis? Affr.

DUM cantu rauco venatica cornua ſtrident,
Et juvenile agmen mane coire jubent;
Ingens turba ruit venatorumque canumque,
Spes eadem ſpolii concit utrumque gregem.
Sylvas & dumeta ſonora indagine luſtrant,
Mox latebra exiliens exit in arva lepus;
Latratu & clamore hilari nemus omne remugit,
Urgeturque alacer, qua via ducit, equus.
Nequicquam ſepeſque ſcrobeſque ruentibus obſtant,
Non ſepes, non ſcrobs obvia tardat iter.

Subdolus interea, longoque peritus ab usu
Actæon inhibet fræna volantis equi;
Pergite, ait, Juvenes, equitare per aspera proni,
Me gnara ulterius mens vetat ire senem.
Mox, nisi fallor, & huc veniet lepus actus in orbem,
Metaque erit cursus, qua modo carcer erat.

An Astra portendant Futura? Negr.

Bickerstaffe, sciens fati, astrorumque perite,
O varias hominum docte referre vices,
Non cœli interpres melior *Merlinus*, Agrippa
Occulta non par arte, nec *Erra* Pater.
Dum Tu, Magne Augur, nunquam ventura recludis,
Horrescit *Lodoix*, *Partrigiusque* tremit.
Lapsuris metuit Synodus Lusitanica templis,
Fatidicumque sacris ignibus ardet opus.
Tu tamen insanam securus despicis iram,
Dum felis superest, dum tibi sospes anus.

Sospite

Sospite Te, Britones contemnimus omnia, quotquot
Ryderi tabulæ *Gadburiive* monent.
Tu qui fata ducum, fortunasque arbiter unus
Confingis, prohibes astra nocere tuis.
Te monstrante docent, quid crastina proferet hora,
Nec poterunt, nisi Tu jusseris, astra loqui.

109

An Somnium sit Affectio Sensuum? Aff^r.

DUM Clarinda jacet placido devicta sopore,
Te, Cotta, ante oculos sistit amica quies.
Nocturnas tecum fallit sermonibus horas,
Arridetque tuis, te reticente, jocis.
Deinde leves choreas, manibus per mutua nexis,
Ducit, & in numerum membra decora movet.
Suavia nunc niveum detorquet ad oscula collum,
Manat & in somnis conscius ore rubor.
Audit serva Thais surgentis mane puellæ
Somnia, & attento narrat amica proco.

Pone metum, Cotta, & parto lætare triumpho;
Proditur indiciis his male tectus amor.
Quæ fieri tibi ſponſa cupit ſub imagine ſomni,
Et vigilans ſponſam ſe cupit eſſe tuam.

110

An Vita conſiſtat in Calore? Affr.

DEficit exangui mulier dum corpore, cogit
Undique vicinas rumor acerbus anus.
Naribus hæc tetros inſpirat ſedula odores,
Hæc gelida vultus oraque ſpargit aqua.
At bona compotrix, docuit quam plurimus uſus,
Creditis his ægram poſſe valere modis?
Artibus haud opus his; detur generoſior hauſtus;
Sobria quod non dat lympha, *Geneva* dabit.

111

An Actio ſit in Patiente? Affr.

COntorto Monachus dum cædit pectora loro,
Et lacerat crudis livida terga notis,

Mem-

Membra movet, varioſque agilis ſinuatur in orbes;
Nunc flet, nunc ſaltat, nunc pede tundit humum:
Nunc horret trepidus flagrum, & ſuſpirat anhelus;
Mox furit, & denſo verbere corpus arat.
Binas, inquit, ago partes; quod verbero, non me
Numen amat, ſed quod vapulo, Numen amat.

112

An cœleſtia Corpora moveantur ab Intelligentiis? Affr.

JAM magnis Argo pelagi defuncta periclis,
Permeat æthereas lucida ſtella plagas.
Navita cœleſtem vigilans de nocte carinam
Spectat, & in mediis talia jactat aquis.
Ante alios nautis aſtrorum charior ignis,
Dirigis errantes quæ ratis ipſa rates,
Jam ventis non acta volas tamen ocyor illis,
Implerunt quondam qui tua vela, Notis.

Quam

Quam celer immenſi ſpatium metiris Olympi!
Quam certo æthereum tramite radis iter!
Non tamen hunc nullo curſum moderare magiſtro;
Nam, qui te moveat, nunc quoque Typhin habes.

113

An Movens ſemper ſit conjunctum Mobili? Affr.

FOrte duo in triviis miſeri coiere ſodales,
Ille oculis, alter mancus utroque pede.
Hic gemit amiſſæ prædulcia munera lucis,
Ille artus laceros, cruraque rapta dolet.
Mox ſociis animis ſibi mutua fœdera jungunt,
Fert claudum hic humeris, monſtrat & ille viam.
Jam non ulterius plorant immitia fata;
Nempe comes comiti rite miniſtrat opem.
Disjungat tamen hos ſocios ſors aſpera, proſunt
Nec tibi, Claude, oculi, nec tibi, Cæce, pedes.

114

An Natura ſit perfectior Arte? Affr.

INfelix oculo caruit Leonilla ſiniſtro;
Sed vacuo fallax hæſit in orbe vitrum.
Dum curtus tamen orator myſteria pandit,
Sopitur medio languida nympha choro:
Interea lævi fraudem manifeſtat ocelli,
Quæ dextrum incautæ comprimit, alta quies.
Amiſſi ſimulas nequicquam luminis orbem,
Ni cæcos habeas, ô Leonilla, procos.

115

An Quicquid recipitur ad Modum recipientis recipiatur? Affr.

DUM Cenſor Britonum heroas juſto ordine ponit,
Miſtaque ſtat doctis Martia turba viris;
Chartam * *Aldermanni* arripiunt, verſantque ſagaces;
Ille ſuos ſenſus explicat, ille ſuos.

* Tatler 83.

Jam

Jam teneo ficto celatos nomine; Cæſar
Hic, — *Londinenſes* ducit in arma globos.
Pythagoras — Quidam è noſtris; loculuſque gravatus:
Nummis auratum denotat eſſe femur.
Sed quis Ariſtoteles, tanta gravitate verendus?
Ah! ſcio — *Paulinam* temperat ille ſcholam.
Heroas fingunt cives ſub imagine civis;
Et tu Prætori, Romule, Prætor eris.

An Quantitas ſit diviſibilis in Infinitum? Affr.

ABſentis * Cous cum tecta ſubiret Apelles
Protogenis, nomen villica quærit anus;
Reſtitit, & tenui tabulas ubi murice tinxit,
Has, inquit, referas hoſpitis eſſe notas.
At filum ſubtile, novus quod duxerat hoſpes,
Hoc medium Rhodii findit arundo ſenis.

* Plin. Nat. Hiſt. L. 35. c. 10.

Eru

Erubuit Cous, tamen hoc quoque poſcit, Alumnus,
Et leviter fuco verſicolore ſecat.
Protogenes, quid ſtas, oculos in Apelle moratus,
Et calamo quereris nil ſupereſſe tuo?
Sufficit in plures exilis linea ductus,
Non ea mole caret, ſed caret arte manus.

117

An viventia Corpora habeant Quantitatem definitam? Aff^r.

TErribilis ventre, & baculo, * *Veſæe*, per urbem
Portas imperii ſigna flagella tui.
Ergo parum caſtæ tibi vectigalia nymphæ,
Et mendicorum turba tributa ferunt:
Hinc dapibus ſtomachum reples immanis inemptis,
Et corpus multo pingue liquore tumet:
Tu placide exultans, magnum patris incrementum,
Gaudes diſtentum cernere ventris onus.

* Lictor olim Academicus.

At fruſtra turgere optas, & creſcere in horas;
Menſuræ fines venter obeſus habet.
Plus, fateor, poterit veſtis tam larga tenere,
At non iſta feret dolia plura cutis.

118

An Aqua ſit Elementum frigidiſſimum? Affr.

DUM petit infames Phyllis ſub nocte popinas,
Traditur imperio nympha, *Bedelle*, tuo.
Torvus ades baculo immani, ſcuticaque tremenda;
Et laceras nudam terque quaterque cutem.
Mox plauſtro invehitur, populo plaudente, per urbem,
Et rite in notas præcipitatur aquas.
Protinus ingenti ſtrepitat plebecula riſu;
Nunc, ait, infames, i, pete, nympha, domos;
Veſæi haud domuit ſi virga libidinis æſtus,
Extinguet flammam frigida lympha tuam.

119

An Cœlum agat in Inferiora? Affr.

UVida dum pubes in multam pocula noctem
Continuat, * *Clusî* non abigenda ſono,
Ætherium exoritur media inter gaudia murmur,
Et reſona horrendo fulmine tecta tremunt:
Turba metu perculſa ſilet; nec, ut ante ſolebat,
Plenus perpetuo ducitur orbe calix.
Dumque iterant ſolitos horrenda tonitrua motus,
Hic ſibi, Cerviſiæ cautior ille, timet;
Tardoſque increpitans ſocios, bibite ocyus, inquit,
Ne reddant acidos fulmina crebra ſcyphos.

120

An Senſus lædatur ab excellenti Senſibili? Affr.

PArvulus iſte ſenex, qui recto corpore, lentis
Paſſibus incedit, quem coma rara tegit,

* Cluſius Campana magna Æd. Chriſti cujus pulſatione hora nona denuntiatur, & ad Collegia propria ſe recipere tenentur Academici.

Ante diem exortum bis tintinnabula pulſat,
Et matutinas perſtrepit ante fores:
Illius & cura, quoties ſubit æquora Titan,
Pulſus ab excelſa *Cluſius* arce ſonat.
Jamque ſeni aſſiduo tinnit clangore cerebrum,
Surdus hebet, ſurdum prodit in ore ſtupor.
In turri tuto nunc æra ſonantia tundens,
Solus non audit, quem facit ipſe, ſonum.

121

An Terra circa ſuum axem volvatur? Affr.

ASTronomus tabula deſcripti ſobrius orbis
Dum luſtrat ſpatium, ſydereaſque domos;
Phœbeam credit currum circum æthera volvi,
Et favet inventis jam, Ptolemæe, tuis.
Verum ubi nocturno mens eſt evicta Lyæo,
Exagitantque ægrum pocula larga caput;
Jam ſapit, & tecum ſentit, Copernice; terra
Sub pedibus viſa eſt mobilis eſſe ſuis.

122

An Idem ſit Cauſa Diverſorum? Aff^r.

QUam dextre formoſa vibrat Sachariſſa flabellum!
Dum levis ardentes ventilat aura genas:
Quot laſciva modis agitat revolubile telum!
Quam mira pictos explicat arte ſinus!
Incautos juvenes ſubito non certior ictu
Idalio ex arcu miſſa ſagitta ferit.
Hæc eadem Nymphæ quæ flamine temperat æſtus
Machina, ſpectantum torret amore jecur.

123

An Aliquid agat in Seipſum? Neg^r.

LAnguentes vires afflictæ ſigna ſalutis
Dum ſentit medica clarus in arte Lacon;
Mature cautus venienti occurrere morbo,
Multa agitat ſecum, pharmaca mille parat:
Jam bilem purgat, ſalientem ſanguine venam
Jam ferit, & gelido perluit amne caput.

Fit

Fit gravior capiti inde dolor, fit nauſea ventri,
Atque novo exardens æſtuat igne jecur.
Mitte, Lacon, morbo vanam hanc adhibere medelam,
De corio demens ludere parce tuo.
Quam tibi nequicquam tentas præſtare, Diaulus
Cyclicus iſte feret, vel bona Dipſas opem.

124

An Anima ſit diviſibilis? Neg^r.

LUnata Epirum complet dum Turca cohorte,
Et ferus hoſtiles undique vaſtat agros,
Scanderberge, tui quærit ſpolia ampla ſepulcri,
Conditaque effoſſo diripit exta rogo:
Hic crura, ille caput, validos rapit ille lacertos,
Hic cor invicti Principis, ille manus.
His, ait, exequiis, atque hoc munimine fretus,
Per flammas miles, per media arma ruet.
At fruſtra oſſa ducis turmas partiris in omnes;
Diſtribui virtus, quæ regit oſſa, nequit.

125

An Locus ſit æqualis Locato? Affr.

SÆpe viatores comprenſos, torve Procruſte,
Ferrato cogis ponere membra toro.
Si quis non æquet breviori corpore lectum,
Sævus inaudita protrahis arte pedes.
Subjectam ſiquis menſuram exceſſerit, æquo
Quod ſuperimpendet longius, enſe putas.
Si major fuerit, vel ſi minor hoſpite lectus,
Par tamen huic lecto quilibet hoſpes erit.

126

An Idem ſemper faciat Idem? Affr.

VIderat Hippocratem triſtis veſpillo, per urbem
Ut vectus bijugis aureus ibat equis.
Cur, ait, ingratam vano molimine terram
Verſat perpetuo trita ligone manus?
Quantum præſtiterit medicamina vendere vulgo,
Et docta ignarum ducere fraude gregem!

Sic

Sic artem expertus medicam, & pretiosa laboris
Lucra, sepulturæ flebile damnat opus.
Ne tumeas factus de vespillone Machaon;
Nam, quod tu tractas, usque cadaver erit.

127

An Sonus sit in Corporibus sonantibus? Negr.

ASpicis ut tremulo, modulos meditata canoros,
Argutum digito Flavia pulsat ebur.
O quam divino permulcet pectora cantu!
Ut mira blandos elicit arte sonos!
Percussæ tenuem vibrant nempe aëra chordæ;
Dat citharæ motum nympha, sed aura melos.

128

An Natura aliquem Finem intendat? Affr.

IMpatiens iræ, felique accensa rapaci,
Epoto furtim lacte, minatur anus.

Illa,

Illa, quid arreptis ſævis, temeraria, ſcopis?
Cur ego crudeli vulnere plector, ait?
Me nihil utilius per totas conſpicis ædes,
Seu ſim muri hoſtis, ſeu tibi fida comes:
Fas mihi purpureos ſpectem ſine crimine reges,
Et mihi Majeſtas conſpicienda nitet:
Poſtque novem abſumtas humana in commoda vitas,
Multus & extincti corporis uſus erit:
Mortua do fidibus chordas, opibuſque crumenam,
Sanat & infirmum pellis amica femur.
Has tibi reliquias habeas, hæc ultima dona;
Nil de fele potes præter habere cutem?

129

An detur Actio in diſtans? Negr.

EGregii juvenis Sagana ardeſcebat amore,
Sed nec blanditiæ, nec valuere preces.
Hinc rabie infernas ſuccenſa accingitur artes,
Et juvenem magica perdere voce parat.

Effingit mollis juvenilem cera figuram,
Ut ſenſim admoto ſit liquefacta foco.
His ſaltem flammis cruciaberis, Improbe, clamat,
Improbe, nam flammis ſum cruciata tuis.
Crudeli tu tabe, liquens ut cera, liqueſces;
Nam me crudeli tabe peredit amor.
Fruſtra Theſſalicas exerces, Impia, fraudes;
Non ardet juvenis, nec perit igne tuo.

An Motus Projectorum fiat per Impulſum a Projiciente impreſſum? Aff^r.

VOS ô qui grato exercentes membra labore,
Optatis belli dicier arte pilæ,
Fidite ne ſemper, qui provolat obvius, orbi;
Tyrones dubios hic malus error habet.
Ambo notent oculo dextram ferientis acuto,
Ambo ſuſpiciant, ut pila miſſa volet.

Op-

Oppositam frustra sperat contingere metam,
Qui non ante videt, qua pila tundet humum.
Cum lusor validum contorqueat arte lacertum,
Chordarum implicitam nexilis ordo rotat;
Tum celer obliquo sinuatur in aere gyro,
Transverse & plano subsilit icta solo.
At cum de nervis acri sonat incita pulsu,
Et trajecta super retia radit iter,
Tum se humilis longis prope terram saltibus urget,
Non nisi solerti percutienda manu.
Qua vi jacta cadet, quove impete pulsa resurget,
Indicium semper dextra moventis erit.

An Agens assimulet sibi Patiens? Affr.

TE, Cato, Romana vidi gravitate verendum,
Cum Britonum scenas ingredereris atrox.
Si tua divinis arderent pectora flammis,
Et flamma ardebant pectora nostra pari,

Si patriam inciperes fletu plorare cadentem,
Elicuit fletus lacryma fusa meos.
Si torvus foderes animosum vulnere pectus,
Passus eram telis vulnera facta tuis.
Quam mira gessit se Roscius arte? Catonem
Dum populus spectat, fit sibi quisque Cato.

132

An Calor sit a Motu? Affr.

XAntippe longo quondam devicta sopore
Creditur extremum sustinuisse diem:
Protinus effertur, sic vult pia cura mariti,
Ocyus extructis injicienda rogis.
Dum nimis heu! properat Libitinæ turba, feretrum
Labitur, & magno verbere tundit humum.
Excutitur somno Xantippe, & territa clamat,
Quo rapitis? vivam solvite: Sponsus ubi est?
Solvitur. Auriculas demittit adinstar aselli
Vir bonus, & dominæ servit, ut ante, suæ.

Longa

Longa decennalis tandem poſt tædia regni,
Ecce! iterum ad tumulum mortua fertur anus.
Cautior hinc conjux, ô lentius ite, Sodales,
Ne redeat lapſu priſcus in oſſa calor.

183

An Bruta cogitent? Negr.

CONſpicitur raptus madido Crocodilus ab antro
Undique convectas * *Foſſilis* inter opes.
Squamoſus quadrupes arca prorepit aperta,
Et novus in ſcenis Scincus amator adeſt.
Inſolitas piſci ſpectavit *Foſſilis* artes,
Obſtupuitque feram ludere, amare, loqui.
Quin, Bone Vir, brutum mirari deſine, quem tu
Excipis ut piſcem, ſponſa ſcit eſſe virum.

184

An Anima ſit in toto Corpore? Affr.

DUM Cotta à diro timidus ſe proripit hoſte,
Et pavidæ præbet terga inhoneſta fugæ;

* Vid. Fab. cui Tit. Three Hours after Marriage.

Pone

Pone ſubit, tergoque inſtat crudeliter hoſtis,
Et gladio Cottæ poſteriora fodit.
Purpureis hinc plena madent femoralia rivis,
Et nigram aſpergit ſanguinis imber humum.
Vulnere de tetro divinæ particula auræ
Manat, & è clauſtris evolat illa ſuis.
Quo non in nervo, qua non in parte moratur,
Pone etiam ſedem ſi legat illa ſuam?

An Natura ſit perfectior Arte? Affr.

INſtituit lepidus mirum certamen Alexis;
Ocyus ex omni parte popellus adeſt.
Prodit deformi quiſquis ſpectabilis ore eſt,
Victori merces danda galerus erat.
Torquentur vario tetri ſinuamine vultus,
Fœdaque diductis rictibus ora patent.
Exitus in dubio eſt; neſcit plebs, neſcit Alexis,
Cui faveat; placet hic vultus, & ille placet.

Forte

Forte Senex aderat noſtra bene notus in Æde;
Quid poterit mea frons, experiamur, ait.
Hic nihil arte valet, ſimul ac Sua protulit ora,
Confeſſu toto judice, Victor abit.

136

An Idem ſemper agat idem? Aff^r.

BRayæ antiquus erat, mendax niſi fama, ſacerdos,
Brayæ perpetuo fidus, amanſque ſuæ.
Sæpe caput raſum voluit, monachique cucullum;
Sæpe reformandam cenſuit eſſe fidem.
Propoſiti, *Brayæ*que tenax mutatur in horas,
Mutatuſque idem eſt, par, ſimiliſque ſibi.
Veſtimenta, fides nullo diſcrimine agentur,
Illa, vel illa, inquit, ſit modo *Braya* mihi.

137

An Cœlum ſit corruptibile? Neg^r.

SÆpe ſeneſcentis decreſcunt cornua Lunæ,
Sæpe ſuum moriens abdit Apollo caput.

Illa

Illa tamen caſtæ reparat diſpendia lucis;
Alter ab occidua purior exit aqua.
Mortales ridet cœleſtis machina caſus,
Et fati ex alta deſpicit arce minas.
Nil hic imperii ſperat longæva vetuſtas;
Nil hic, quod poſſit carpere, Tempus habet.
Sævire in natos pergas, Saturne, vorando;
In patrem ſævus non potes eſſe tuum.

138

An idem Corpus poſſit eſſe in duobus Locis? Neg^r.

DIpſas anus ſparſæ quadrata per atria pubis
Quæ ſternit lectos una, nec ipſa celer:
Dum matutinum pro more deambulat orbem,
Ecce! inter multos anxia pendet heros.
Ocyus alter aquas, alter jentacula poſcit,
Tertius, heus! cura, ut ſit mihi flamma domi.

Ad

Ad quemvis, ait illa, locum, modo mittar ad unum;
Sed nequeo esse illic, hic, & ubique simul.

139

An Aër sit calidus? Affr.

MAne novo mulctrale ferens rubicunda puella,
Cum peteret celeri proxima prata pede,
Acris ab Æolio stridebat carcere ventus,
Atque stetit densa candida terra nive:
Non tamen intrarat penetrabile frigus in artus,
Nec mordax pulcram læserat aura cutem.
Aspice candentesque genas, vultusque salubres,
Aspice & æstivis æmula labra rosis.
Unde hic lucenti micat igneus ardor in ore?
Scilicet ardenti sub Jove nympha fuit.

140

An Natura nihil agat frustra? Negr.

QUO Natura Parens telluris inutile pondus
Formarit montes, impia turba rogat.

Demens! quam varia terras genteſque per orbem
Aëriæ rupes utilitate beant!
Hic ſummo florent umbroſæ in vertice ſylvæ,
Illic armento pabula læta vago.
Miteſcunt fluctus per ſaxea cola marini,
Arvaque percurrunt flumina dulcis aquæ.
Quid referam medicas herbas, undaſque calentes,
Omniaque arcano clauſa metalla ſinu?
Ut juvat hinc longas metiri lumine valles,
Subjectaſque urbes, Oceanique minas!
O Natura Parens, te contra turba prophana
Nil agit, atque operam damnat inepta tuam.
Si deſint terris celſi, tua munera, montes,
Gratia terrarum nulla, nec uſus erit.

141

An dentur Colores in Tenebris? Negr.

VIrtutem illæſam præda ut defendat adempta,
Affatur ſocios pinguis, anhelus Eques;

* Shakeſpear's firſt part of K. Henry the 4th.

Di-

Ditatus furto media cum nocte redirem,
Uni latrones aſſiluere duo.
Ambo pares armis, & flavis veſtibus ambo;
Celavit torvas horrida larva genas.
Quattuor hi ſolum aggreſſi; — ſed quas ego ſtrages
Undique, per campos funera quanta dedi!
Spicula ſex torſit manus hæc aſſueta periclis,
Atque octo furum corpora ſtravit humi;
Tum prædam viridi rapuit fur veſte recinctus;
Nox etenim haud ipſam paſſa videre manum:
Cui ſocius ridens — Si te fur ipſe lateret,
Qui potuit viridis non latuiſſe color?

142

An Somnium ſit Affectio Senſuum? Aff^r.

PRoventu Cottam vafrum ditaverat amplo
Omnigeni longum credita cura peni.
Non intellectis aſſemque obolumque figuris
Signans, arcanis quæſtibus auxit opes.

Forte quieſcenti, per muta ſilentia noctis,
Ultimus in ſomnis viſus adeſſe dies;
Viſus atrox vitas & crimina diſcere Minos;
Viſaque compertos pœna manere dolos:
Cotta perhorreſcit ſpecie deceptus inani;
Cor micat, & gelidus concutit oſſa tremor:
Ocyus inviſos, inquit, Puer, ure libellos,
Heu! furti teſtes, & monumenta mei.
Fors comes audierat prodentem crimina vocem;
Detexitque tuos, improbe Prome, dolos.
Furta vigil celas quamvis deprenſa; nec ullam
Somnia contendis promeruiſſe fidem.
Fruſtra diſſimulas; noctis quem terret imago,
Noverat eſſe reum conſcius ante dies.

An Senſibus ſit fidendum? Affr.

DIves Perſa ſtruens nullo convivia ſumptu,
Ad cœnam lepidum te, * *Schacabace*, vocat.

* Guardian 102.

Ex-

Exhauſtos cyathos, patinaſque apponit inanes;
Sed tamen his ſitis eſt, his relevanda fames.
Hoſpitis ingenium ſentit conviva jocoſi,
Abſenteſque cibos officioſus edit:
Candida fictitii diſcerpit pectora pulli,
Et non guſtatam dente fatigat avem:
Nunc color haud viſæ laudatur ſplendidus uvæ;
Nunç ſapor intacti luxurioſus apri.
Exclamat tandem dapibus ceu turgidus, Ohe!
Et fingit nimio ſe maduiſſe mero.
Fors animus falſæ ſatietur imagine cœnæ,
Sed ſtomachus veras ſentit abeſſe dapes.

144

An Generatio ſit Mutatio a non Ente ad Ens? Affr.

JUpiter ut ſenſit ſibi prole tumeſcere frontem,
Et cerebrum gravidi ventris habere vices;

Unde

Unde tuos, inquit, patior, mea Juno, labores?
Credideram ſolam te peperiſſe Deos.
Quicquid erit monſtri, naſcetur; Mulciber adſis,
Frontiſque extundas parturientis onus:
Ille ferit, cerebrumque ſecundo dividit ictu,
Protinus e rupto vertice Diva ſalit.
Dic, Lucina favens, novus hic quis Palladis ortus,
Quæve peregrinæ ſemina prolis erant?
Crede mihi, tunc cum tauri ſub pelle latebas,
Jupiter, incoluit nulla Minerva caput.

An Quodlibet fieri poſſit ex Quolibet? Affr.

DUM ſimulucra notat pictos ſignantia faſtos
Dædaleæ luſtrans Zoilus artis * opus,
Commenta arcanæ ſibi deprendiſſe tabellæ
Viſus, & obſcuros explicuiſſe dolos:
En! Cives, pictura loquax, præſaga malorum,
Et quæ *Saxonidis* fata minatur, ait.

* Kalendarium Oxonienſe anno 1702. editum.

Hic

Hic luce effulgens, positoque Britannia luctu
Aspicit exultans Cæsaris ora novi:
Hic grandi assurgit pompa venerabile bustum,
Relliquiasque tenens urna, Jacobe, tuas:
Dum solii infelix Rivalis mœstus & exspes
Volvitur, inque imas præcipitatur aquas:
Belgicus inde Leo — Quin tu damnabere flammis
Impia Niliacis fœta tabella notis.
O cerebrum felix! & divinare peritum!
O lepidum ingenii luxuriantis opus!
Quin pergas, bone Vir; nondum extricata latescit
Materia auguriis plurima digna tuis.
Macte sagax, repete examen, quæ præbuit unum
Chartula figmentum, Zoile, mille dabit.

146

An Essentiæ Rerum sint æternæ? Affr.

QUÆ te, *Drace* audax, quondam fidissima navis
Vexit ad ignotas per freta multa plagas,

Illi

Illi longa dies coſtas & carbaſa trivit,
Et validi dudum comminuere noti:
Altera quin laceris ſuccedunt lintea velis,
Et fractas reparant altera ligna trabes.
Perferat uſque licet gravibus vexata procellis
Æquora, non poterit tota perire ratis.

An Elementa gravitent & levitent in ſuis Locis? Neg^r.

CHryſophilus lati tectus munimine vitri
In medias prono corpore fertur aquas:
Nunc gemmas oculis nunc auri luſtrat acervos,
Quaſque imo condit gurgite Tethys opes.
Æquora ſecurus vaſtos volventia fluctus
Spernit, & inſani murmura rauca freti.
Ingens incumbit capiti ſine pondere moles,
Nec premit immerſum, quæ tegit, unda virum.

148

An Natura ſemper aliquem Finem intendat? Affr.

CUI tumuit denſus montano pondere gibbus,
Natus deliri ſpes fuit una patris:
Sæpe ſenex, quid promittat Natura, requirit,
Multaque fatidico præſcius ore canit.
Tandem ait, ut melius poſſit ſupera aſtra tueri,
En capiti fulcrum eſt, hic erit Aſtrologus.

149

An Idem ſit Cauſſa Diverſorum? Affr.

DUM Danaum Proceres urget Menelaus ad arma,
Iliaciſque ardens bella minatur agris;
Multa movens animo, duram ut componere litem
Poſſit, ſic Poltis, Rex generoſus, ait.
Tyndaris indigna eſt, bello quam poſcat Atrides,
Sueta nimis caſti frangere jura tori:

Nec tibi, Priamide, amplexus promitte fideles;
Non metuet thalamos mox violare tuos.
Eſt mihi bina domi conjux, quas nemo repoſcet,
Per medias rapiet nullus adulter aquas:
Altera Trojano juveni mittatur; Atrida,
Cedat in amplexus altera nympha tuos."
Hinc ceſſent lites, me Judice; fœmina cæpti
Cauſſa fuit belli, fœmina pacis erit.

150

An Quicquid recipitur ad Modum Recipientis recipiatur? Aff^r.

INcumbit tereti Damon agreſtis olivæ,
Et patula raucos accipit aure ſonos.
Audi, Thyrſi, inquit, quam tintinnabula clangunt!
Ordine quam ſurgunt, ſtantque, caduntque ſuo:
Audi dilectum Lydes reſonantia nomen;
Quam clarum Lydes nomen ab arce venit!

Aure

Aure ſtat arrecta Thyrſis, non audio Lyden,
Inquit, ſola mea Phyllis in aure ſonat.
Fit Battus judex, Battoque ſonare videntur,
Whittingtone tua non ſine fele redi.
Sit *Whittingtoni* felis, ſit Phyllis amata,
Sit Lyde, quicquid concipis, æra ſonànt.

751

An Ars ſit perfectior Natura? Negr.

HAud procul hinc pedibus ſtat machina lignea rectis,
Quam vocat e ſolito munere vulgus equum:
Nec minus e forma nomen datur: ardua cervix,
Argutum caput eſt, aure & utraque micat:
Sed deſunt coſtæ, in cuneum ſed tergora ſurgunt;
Ah! præacuta nimis, nec ſatis apta premi.
Hunc triſtes ſcandunt, onerantque inamabile dorſum,
Maia nate, dolos qui didicere tuos.
Huic hærent, *Ormonde*, tibi quicunque ſalutem,
Cum mentem abſtulerint pocula plena, vovent.

Saucius artifici miles mala multa precatur,
Tam dirum primus qui fabricavit equum.
Debueras vel equo, faber improbe, ſeſſile dorſum,
Vel quernas equiti ſuppeditaſſe nates.
Hoc equitare vocas? quam mallem vel pedes ire,
Vel, * *Proctere*, tuo ſerpere tutus equo.

152.

An Motus fiat per Vim a Projiciente impreſſam? Aff^r.

CUM medium ignitis Fulmen ſecat aera pennis,
Cur ſubitus moto ſurgit in axe fragor?
Cur Phariæ trepidant turres, Rhodiique coloſſi,
Et dubius tremulo vertice nutat Athos?
Sic movet aerium montana cacumina ſulphur?
Sic quatit exiguus ſaxa ſuperba lapis?
Non ea vis teli eſt; ſed totas horrida vires
Exerit in parvo fulmine dextra Jovis:

* Procter Equos quam peſſimos locare ſolitus.

Hæc

Hæc lapidi terrorem, hæc ignibus adjicit alas;
Nec valet amoto fulmen inerme Deo.
Heu! fruſtra finxit Salmoneus arma Tonantis,
Ni poterat fingi, quæ movet arma, manus.

153

An Mixtio ſit alteratorum miſcibilium Unio? Affr.

NYmpha *Iſis* medios agros dum læta pererrat,
Incaluit madidæ *Tamus* amore Deæ:
Serpit amans tacitus, ſinuoſaque brachia circum-
fundit, & æterno fœdere jungit aquas.
Jam torrens idem, & limes datur unus utrique;
Nec doluere vices Ille vel Illa ſuas,
Tamus amat quicquid ſua dulcis amaverat *Iſis*,
Et quod *Tamus* amat, *Tamus* & *Iſis* amant.
Agnoſcas nullam *Tami*, nullam *Iſidis* undam;
Commune imperium *Thamiſis* unus habet.

An

154

An Aliquid moveat Seipſum? Neg^r.

MAchina parva Cloës lateri quæ penſilis hæret,
Oſtendens variis tempora lapſa notis,
Intus habet momenta, quibus ſuus ordo rotarum
Volvitur, in gyros itque reditque ſuos.
Hinc incluſa ſonat campanula tempore certo,
Et quota ſit Nymphis hora referre ſolet.
Quæritis unde habeat motum ſibi machina? volvunt
Fila minuta rotas, ipſa voluta rotis.

155

An Cauſæ ſint ſibi invicem Cauſæ? Aff^r.

AUthore invito, tenues mandare libellos
Furtivis ſolitus * Bibliopola typis,
Ultores pueros deceptus fraude maligna
Senſit ab excuſſo miſſus in aſtra ſago:

* Curl qui mendoſum exemplar orationis ab Alumno Weſtmonaſterienſi habitæ edidit, & hujuſmodi pœnas dedit.

Nec:

Nec ſatis hoc; menſa late porrectus acerna
Supplicium rigidæ fert puerile ſcholæ:
Jam virgæ impatiens pueris convitia fundit;
Vicinique crepat jurgia nota fori.
Flagra minas miſero extorquent repetita; minaſque
Quo magis ingeminat, vapulat ille magis.

156

An Motus gravium ſit velocior in Fine? Affr.

SÆpe ego conducto peterem cum rura caballo,
In prima cepi tædia longa via:
Cunctantem nunc hortor equum, nunc fuſte fatigo,
Et crebro inflexum vulnere calcar hebet.
Non tamen ille magis properat, nec pergit eundo;
Sed lentum peragit, quo pede cepit, iter.
Aſt ubi nare redux ſubolet præſepe ſagaci,
Incipit ad ſolitas ocyus ire dapes.

Jam

Jam parco ſtimulis, tritis jam parco flagellis;
Imperiis ultra non eget ille meis.
Sit ſtupidus, ſit iners, aſino ſit tardior ipſo,
Fine ſub extremo Pegaſus alter erit.

157

An detur Color in Tenebris? Neg^r.

CONveniunt teneræ nocturna ad lumina nymphæ
Exercetque leves ſtridula turba jocos.
In medio poſitus, pannoque obductus ocellos,
Tu, Cotta, hinc geminas tendis & inde manus;
Ut, ſi quam late palpans deprendere poſſis,
Officium ſubeat nota puella tuum:
Hæ rident, ſive in cathedras, ſeu forſan in ignem
Irruis; hæc veſtes vellicat, illa comas:
Tandem flava Cloe, qua porta obverſa, lateſcens
Incidit in caſſes præda petita tuos:
Dum dextra veſtes, & eburnea colla prehenſæ
Percurris, riſu prodita nympha patet.

Fruſtra

Fruſtra virginei vultus, veſtiſve colorem
Tentaſſes, poterat ſi tacuiſſe Cloë.

158

An Agens aſſimilet ſibi Patiens? Aff^r.

FUderat innumeras *Moſchorum Suecia* turmas,
Barbaricæ temnens irrita tela manus.
At *Moſchi* inſtaurant forti ſub Principe bellum,
Armaque vel *Suecis* jam metuenda movent.
Hinc dubiis incerta volans victoria pennis
Nunc his, nunc illis partibus æqua favet.
Quid reſtat? quin, *Suece*, tibi jam fœdere *Moſchum*
Jungas, feciſti quem ſuperando parem.

159

An Natura ſit perfectior Arte? Neg^r.

HUmana expreſſis referentem corpora ceram
Partibus egregiæ vidimus artis opus.
Hic rubet extenſis ſerpens arteria filis,
Purpureoque fluit limpidus amne cruor.

Illic liveſcunt cunctanti ſanguine venæ,
Et turgent niveo lactea vaſa chylo:
Articulis habiles motus, vireſque miniſtrans
Hic albo nervus tramite ſignat iter.
Luctatur tumido fœtus proclivis in antro,
Et matri dubius diſtrahit ora dolor.
Non deſunt nervi, ſed torpet inutile membrum,
Ignea vis motu nec ſaliente micat.
Eſt animæ ſedes, ſed non eſt incola ſedi;
Eſt cerebrum, ſed non ſpiritus intus agit.
Ut tibi perfecti ſint quaque ex parte labores,
Mentem, Opifex, addas, ingenioſe, tuam.

160

An Imago Rei in Mente conveniat cum Objecto extra Mentem? Negr.

MUlta ſuper Lodoïco audit pulſiſque Batavis
Thyrſis, & in triviis regia bella canit.

En!

En! quis ait Divus qui proruit agmina ferro?
Altaque terribilis mœnia ſternit humo?
Quinam illi membrorum artus, quænam oſſa, lacertiq;?
Immani certe mole gigantis ovat.
Rex tandem læti tranſit prope Thyrſidis arva,
Et fluitat plenis denſa juventa viis.
Jamque alta Thyrſis Lodoïcum voce requirit:
Ut novit vultus, obſtupefactus hiat.
Hiccine *Borbonius*? meus Ægon grandior illo eſt,
Frumentique feret majus Alexis onus.
Hic Diadema gerit? quin certet fuſte, galerus
Vel Batti merces, vel Corydonis erit.

161

An Idem ſit Cauſa Diverſorum? Affr.

PHyllirides magni prudens dum format alumni
Mentem, atque inceptum ſedulus utget opus;
Quadrupedem, Puer, ærata ſic calce fatiges,
Sic colla inflectas, ſic, ait, ora regas.

Attonito juveni mox tergum obvertit equinum,
Et frænum pernix accipit ore ſenex.
Nunc ſubſaltantem calcaribus urget Achilles,
Nunc inhibent curſus preſſa lupata citos.
Officium, Æacida, tibi præſtat utrumque magiſter,
Quique equitare docet, te quoque portat equus.

162

An Quodlibet fiat ex Quolibet? Affr.

DUM curvo terram Corydon molitur aratro,
Effoſſo retegit * ſaxa ſepulta ſolo:
Multa pavimentum diſtinguit teſſera pictum,
Areaque ornatu verſicolore nitet.
Spectatum occurrunt vicino ex rure coloni,
Doctaque gens, arces quæ colit, Iſi, tuas,
Hanc, inquit Lycidas, *Oberon* ſibi condidit aulam,
Nocturnum hic Lemures inſtituere chorum.

* Pavimentum quoddam teſſellatum, imperante *Valentiniano* I, ut videtur elaboratum, & *Stunſeldiæ* ſecus *Woodſtochiam Oxon.* A. D. 1712. repertum.

Hic

Hic ait, en! aquila immenſum ſecat æthera pennis,
Cernis, ut Idæus ſurgat ad aſtra puer?
Alatum agnoſcit naſutior ille draconem,
Cappadociſque videt ſpicula, & ora ducis.
Conſpicit hic Bacchum inverſa pro more diota,
Dum ſua Thyrſigerum fert tigris Inda Deum.
Pro libitu varias excudit quiſque figuras,
Figmentumque novum dat nova quæque dies.
Lis ſub Judice adhuc; fors & venientibus annis
Eugenium referet, *Marlburiumve* lapis.

163

An Senectus & Mors omni Animato conveniant? Affr.

DInumerat veri fidus recitator *Abelus*
Et quæ geſta foris plurima, quæque domi.
Sed, quod pertineat magis ad nos, narrat amice,
Unde petat certam quilibet æger opem.

En!

En! torquem, teneros infantum extrudere dentes
Qui valet, optandus matribus, aſſe pares.
Hic oculis *Readus*; capiti medicamina præbet
Fœmina *Kirlæi* conjugis arte potens.
Hic pthiſin,& podagram,ſcabiemque,luemq; repellens,
Potio ad auratam proſtat emenda pilam.
Hic! etiam effœtam ſucco reparare ſenectam
Spondet Pæonii gloria prima chori.
Quam vellem conſtare fidem tibi, candide Scriptor!
Quam vellem medici ſint in honore tui!
Sed metuo, cunctos ne terreat Hebdomodalis
Chartula, defunctos quæ numerare ſolet.

164

An Senſus ſit Singularium? Aff^r.

IGnarus Corydon jejuno fertur aſello
Fœni faſciculos appoſuiſſe duos.
Anceps, faſciculo quo ſe expleat, hæret aſellus;
Ex æquo ſenſus ille, vel ille ferit.

In

In partem dubius nunc hanc, nunc vergit in illam,
Et miſer oblatas eſurit ante dapes.
Impaſtum ſi vis aſinum ſatiare, maniplum
Aut unum deme, aut junge, Colone, duos.

765

An omne Corpus habeat determinatos ſui Fines? Affr.

QUI liber fortiſque uxoris dicere poſſit
Se nunquam imperio ſuccubuiſſe ſuæ,
Quatuor huic * Cereris modii ſtant præmia, merces
Parva quidem, ſed non gloria parva manet.
Ruſticus hanc longo ſperatam tempore palmam
Vendicat, & conjux en! Ego liber, ait.
Debita juratus ſumit frumenta, ſed arctus
Ingeſtum admiſit non bene ſaccus onus.
Heu! quantum eſt, inquit! — tunc ſaccum extendere [tentat,
Parcius infundens farra, premenſque manu.

* Spectator 607.

Cum

Cum dispensator — cur non tibi largior adsit,
Qui laxo accipiat parta trophæa sinu?
Majorem saccum volui, sed dixerat uxor,
Sume hunc, qui minor est; hic tibi sufficiet.
Ah! bone Vir, tibi majorem si denegat uxor,
Non capiet modios sacculus iste meos.

166

An Locus sit æqualis Locato? Affr.

EN! *ovi teretem describit Cinna figuram,
Dum condit Clario carmina digna Deo.
Imparibus spatium interjectum versibus implet,
Comprimit aptatos arcta figura modos.
Si forte occurrat brevior vox, & minor æquo,
Adjicitur verbi syllaba prima novi.
Longius excurrat si vox producta, fluentem
Compescis calamo, Cinna diserte, pedem.
Artem felicem! seu major, seu minor, ovo
Quælibet includi vox erit apta tuo.

* Spectator 58.

Ari

167

An Idem ſit Cauſa Diverſorum? Affr.

CUM miſer extremas *Lubinus* duceret horas,
Et blando uxori diceret ore vale,
Triſtia ſingultu late penetralia complet,
Reſpondet planctu ſtridula ſponſa pari.
Ambo ſuas miſcent lacrymas; tamen altera ſponſæ
Exprimit, & fletus altera cura viro.
Lubinus dolet, infernas ne tendat ad undas,
Sed ne non tendat, mœſta marita dolet.

168

An Viventia habeant certum Terminum Magnitudinis? Affr.

UT ſimili ſocias exæquet mole puellas,
Mille dolos verſat pectore macra Cloe.
Multiplicem vario tumidam ſubtemine veſtem,
Expanſamque habili comparat orbe ſtolam.

Stant terno ceti oſſa gradu, terno ordine funes,
Staminaque undantes explicitura ſinus.
Hac ſub veſte Cloe, & tanto circundata gyro,
Exultat grandi pinguior ire Lyce.
Magna quidem incedis magnæ virgo incola pallæ,
At ſpatioſa exis veſte puſilla Chloe.

169

An Aliquid ſit Cauſa Sui ipſius? Neg^r.

MAtre puer dubia, dubio genitore creatus,
Stratus humi, duras ponitur ante fores:
Eſuriens vicum complet vagitibus infans;
Nec mora, vicinas undique cogit anus.
Jam circumfuſa puerum ſpectante corona,
Sic aperit mentem fœmina quæque ſuam.
Hæc, nullam memoro, mulier ſed proxima nobis
Furtivum, ut rebar, ventre gerebat onus.
Hæc, vultum agnoſco vicini Daphnidis; illa,
Vix puerum huc proprios credo tuliſſe pedes.

Mox

Mox ſurgit matrona aliis ſapientior una,
Et ſocias alta voce ſilere jubet.
Auſcultant. Mater puero, quem cernitis, inquit,
Neſcio quæ fuerit, ſed puto mater erat.

170

An Elementa maneant formaliter in Mixto? Affr.

CUM lapſi redeunt menſes, feſtumque Decembre,
Sanga culinari præparat arte dapes.
Exta boùm in partes ſcinduntur opima minutas;
Hinc, inde arvinæ pinguia fruſta nitent.
Ductile triticeo butyrum pulvere miſcet,
Glutineumque habili pollice format opus.
Ut ſapiat bene, pruna, merum, & bellaria ſpargit,
Et madet infuſa flexile gluten aqua.
Mixta manent elementa, manu quæ Sanga ſubegit,
Forma tamen nulli, quæ fuit ante, manet.

An Omnia agant propter Finem? Affr.

FEstiva instaurans magno convivia sumptu,
Ad cœnam artifices, * Sextiliane, vocas.
Venit ab attritis, lunatus crura, lacernis
Sartor, & a luteis cerdo, puerque solis;
Et qui sopitam scit voce ciere juventam,
Et lectos facili composuisse manu.
Quas cocus instruxit, dapibus nunc vescitur hospes;
Cauponesque suis hic maduere scyphis.
At cœnæ impensam ne dicat vulgus ineptam;
Das præter cœnam, Sextiliane, nihil.

An detur Casus & Fortuna? Affr.

EXpertus pelagi casus, ludumque severum
Fortunæ, amissa navita puppe redit;
Exiguosque lares, notum penetrale, salutans,
Dulcis in amplexus conjugis ire parat.

* Horum Multus in ære.

Mi-

Miratur quæ gaza intus, quam lauta ſupellex,
Quam ſit mutatæ ſplendidus ordo domus.
Miranti uxor ait, fortunæ munera cernis:
Dat grates tacito murmure nauta deæ.
Mox puer occurrit trimus, pappamque ſalutat;
Nauta ait attonitus, quis puer? unde genus?
Hunc etiam ſorti conjux debemus? at illa
Suaviter arridens, hic quoque ſorte datur.
Sors bene conſuluit, conjux exclamat, utrique;
Hæc mea ſint, uxor, dos erit iſte tua.

173

An Caſus & Fortuna ſint in rebus? Affr.

ÆRis inops patriis it *Whittingtonus* ab oris,
Ignoto ut melius littore quærat opes,
Triſtis iter dubium carpit per compita, felem
Solamenque mali fert, comitemque viæ.
Dumque infelicem verſat ſub pectore ſortem,
Hos reſonare putat tympana læta modos.

Whit-

Whittingtone, redi, ſumma ter Prætor in urbe,
Whittingtone, tua non ſine fele redi.
Fauſtum venturi lætus capit omen honoris;
Cœptum rumpit iter, nec ſine fele redit.
Omina non fallunt, ſumma ter Prætor in urbe
Emicuit, magno conſpiciendus equo.
At tibi ne plaudas, tantæ cum ſcilicet author
Non tu fortunæ, ſed tua felis erat.

174

An Quicquid ſit in Intellectu præexiſtat in Senſu? Affr.

QUI cæca longum caligine duxerat ævum,
Viderat & nunquam lumen, Apollo, tuum;
*Quærenti qualis ſit purpura, cenſeo talem,
Reſpondet, qualem dat tuba rauca ſonum.
Idem, ſi ſurdus fuerat, fortaſſe colori
Purpureo ſimilem dixerat eſſe tubam.

* Lock de Humano Intellectu Lib. 3. C. 4.

175

An Natura intendat Monſtrum? Negr.

PAgi terror anus, cui morbis membra tremiſcunt
Languida, cui frontem ruga ſenilis arat,
Scire poteſtates herbarum, arteſque nocendi
Creditur, & magicis omnia poſſe dolis.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in arvis,
Neglectoque miſer gramine languet equus.
Hinc ſtomachi oppreſſus, capitiſque doloribus infans
Sæpe vomit tenues excruciatus acus.
Suetaque ſub noctem repetentes penſa puellæ
Laſſata preſſant ubera ſicca manu.
Ipſa etiam, magico per cœlum invecta bacillo,
In medio volitans turbine, tuta ſedet.
Nonnunquam exiles leporis tenuatur in artus,
Fallit & immiſſos per nemus acta canes.
Hibernum dum ſola ſedens dormitat ad ignem,
Sæpius immani condita fele latet.

Unde

Unde putes iſtas tam vafra exerceat artes?
Unde ſciat formam ſic variare ſuam?
Quam Natura Parens vetulam, expertemque nocendi
Fecerat, hanc finxit plebs maleſuada magam.

176

An Aliquid ſit Cauſa Sui ipſius? Neg^r.

EFfictam oſtentat Pictor mira arte tabellam,
Qua pictura vagis motibus acta ruit.
Cernimus hic celeri revolutas impete, tanquam
In gyros agerent ventus & aura, rotas:
Excitat hic preſſum ſomno potuque bubulcum
Et cornu, & ſonitus prætereuntis equi:
Hic fluctus labuntur, & unda ſupervenit undam,
Et niveus ficto cygnus in amne natat:
Parte alia curru ſublimi invectus habenas
Automedon prenſat, quadrupedeſque regit.
Non tamen has ſua vis animatque movetque figuras,
Non ſponte in picto vellere curſat equus.

No-

Novimus ingenium fabri, rota fixa tabellæ
Dat motum, dederat quem faber ante rotæ.

177

An Idem ſemper agat Idem? Affr.

CAupo, viatores melius quo inducat hiantes,
Antiquos ſatagit condecorare lares.
Inſtaurata domus multo nitet hoſpite digna,
Sed tabula ad portam pendula deerat adhuc.
Pictorem accerſit, qualem dat villula, caupo;
Et, ſibi pingatur nobilis urſa, rogat.
Urſa? quid urſa placet? qui me ſatis audit, odoram,
Pictor ait, potius poſtulat ille roſam;
Quæque ſolet crines ornare bibentibus intra,
Aptior hæc index ponitur ante fores.
Des mihi, caupo refert, quod quæro: notabilis urſa
Semper erat domus hæc; notaque ſemper erit.
Urſa igitur, ſi ſic tibi ſtat ſententia, fiet;
Sed moneo, & malim fiat, amice, roſa.

Dein operi accinctus parat ora & pingere ſetas;
Sed folium aſſuetæ format arundo roſæ:
Cum pes, cumque minax deſcribi poſtulat unguis,
Dilectæ caulem dat manus apta roſæ.
O fidam artificis dextram! panthera, leonem,
Urſam, aquilam, taurum vis? dabit illa roſam.

178

An Materia ſit capax omnium Formarum? Aff^r.

IN varias facilis flecti miraſque figuras,
Sueverat artifices ludere Cinna rudes.
Illius ut ſartor metitur membra, ſiniſtro
Infelix humero viſus ineſſe tumor:
At confecta tulit cum veſtimenta, tumorem
In dextram partem tranſiluiſſe ſtupet:
Sedulus ut celeri veſtem mutaverat arte,
In medium dorſum ſerpſerat ecce! tumor:

Ex-

Extanti dorſo tunicam cum fecerat aptam,
In toto nullum corpore tuber erat.
Deſine jam tandem, Sartor; tua quot toga ſumit,
Tot didicit formas ſumere Cinna novas.

179

An Effectus requirat Agentem proportionatum? Aff^r.

IN nova mutatas cecinit qui corpora formas,
Jam Metamorphoſi nobiliore nitet.
Addiſone, tuo renovatus Naſo labore,
Incipit Angliaco dulcius ore loqui.
Si Peligna fluit præmolli carmine Muſa,
Et tua præmolli carmine Muſa fluit.
Sin vatem attollat pennis ſublimibus aura,
Et pennam attollit fortior aura tuam.
Nempe tibi facile eſt Naſonem æquare Camæna,
Cum te Naſonis ſpiritus intus agit.

180

An Motus ſit inſtantaneus? Negr.

SOrdida *Schiſmaticus* conſcendit dolia præco,
Sancti infra fratres, inſcia turba, ſedent.
Expectant omnes; fixos immotus ocellos
Sæpe gregi, fixos ſæpe moratur humo:
Ardua mox mæſtos effert ad ſidera vultus,
Mox gemit; & gemitu roſtra rotunda quatit:
Tandem poſt binas, cum jam bene ferveat, horas,
Ora movet variis exagitata modis:
Nec mora, nec requies; ſudatque, fremitque, boatque,
Et tonat, & terret lumine, voce, manu.
Sero quidem tantos concepit pectore motus,
Compeſcet motus nec niſi ſero ſuos.

181

An Idem ſit Cauſa Diverſorum? Affr.

OStia cum torrens aperit ſeptemflua Nilus,
Arvaque limoſis undique complet aquis;

Hic

Hic ſurgit fæcunda Ceres, prælargaque meſſis,
Et gravis inſolito pondere ridet ager:
Illic attonitus per campos fuſa patentes
Monſtra timens, cœptum rumpit arator opus.
Te diverſa manent, Tellus Memphitica, fata;
Quæque feris terret, frugibus unda beat.

182

An detur Vacuum? Negr.

*QUO fidi coeunt æterna ad pocula fratres,
En! ſuſpenſa loci jura tabella refert.
Hic uno avulſo non deficit alter honeſtus,
Qui plenum aſſiduo tradat in orbe ſcyphum.
Hic matutinum ſi poſcas ſobrius hauſtum,
Sobria cum ſocio pocula mane bibas;
Seu juvat ad ſeram producere gaudia noctem,
Nocturno hic celebres orgia læta choro.
Curandum tibi, Caupo, vacet ne cellula; curant
Convivæ, ut ſemper ſit tibi plena domus.

* Vid. Spect. N. 72.

183

An Agentia creata habeant determinatam Sphæram Activitatis? Aff^r.

URbanorum hominum mores vidiſſe triumphat,
Elatus vano nomine, Cinna nepos.
Enumerat pulcras, celeberrima nomina, nymphas,
Et quos detineat quæque puella procos.
Seu de fabellis Italis nugiſque canoris,
Seu de nocturno forte loquare choro,
Copia verborum pleno de pectore manat;
Credas hunc nullis artibus eſſe rudem.
Sed celebres formas, Italæ ſpectacula ſcenæ,
Nocturnas choreas detrahe, Cinna tacet.

184

An Quicquid movetur, moveatur ab Altero? Aff^r.

NUper ubi *Oxonidis* certus nonæ arbiter horæ,
* Non dedit aſſuetos *Cluſius* ore ſonos;

* Propter fractum Campanæ malleum.

Mi-

Miratur Caupo quid nox tam tarda veniret,
Nec peteret proprios turba togata lares.
Illi alacres, lychnoſque novos, caliceſque repoſcunt,
Et multam in noctem pocula larga bibunt.
Nil tandem laſſis obrepens ſomnus ocellis,
Nil quota jam loculis permetuenda valet.
Quantus amor Bacchi! ſedet, æternumque ſedebit,
Non niſi *Cluſiaco* turba movenda ſono.

An detur Materia expers Forma? Negr.

QUot, * *Marato*, rerum cernis miracula, dono
Divorum Elyſios dum petis hoſpes agros!
Hic ſimulacra jacent ſaxorum morte carentum,
Hic ſpeculi manes, armaque functa nitent:
Illic per campos fluvii delabitur umbra,
Et levis in tenui flumine cymba natat:
Hic vacui ſentes, hic dumis aſpera ſylva
Surgit, & in ramis ales imago canit.

* Vid. Spect. N. 56.

His

His adeo in campis, *Marato*, jam vera pateſcunt
Omnia, quæ vates edocuere tui.
Aſpicis en! omnes rerum ſine corpore formas,
Et caruiſſe animis corpora nulla vides.

186

An Eadem Cauſa producat diverſum Effectum? Affr.

AUra, Hypocondriacis incluſa meatibus, urget
Pectora diverſis vatis anhela modis.
Quæ ſi turbatam deſcendat prona per alvum,
Emittunt fiſſæ murmura rauca nates:
Sin caput aſcendens ſumma dominetur in arce,
Divino plenus flamine Præco tumet.
Scandit roſtra, novam lucem & Myſteria jactans,
Et vulgus miri pendet ab ore viri.
At ne plus nimio tumeas, Fanatice; eodem
Naſcitur a flatu relligio, & crepitus.

187.

An Ignis sit siccus? Affr.

PRÆ sociis vini largos ingurgitat haustus,
Vicino semper tostus ab igne, coquus:
Est manus in patinis, & circa vivitur ignem,
Mens tamen in cyathis, o Dionyse, tuis.
Mane petis? tacita madet hic in parte tabernæ:
Serius expectas? una taberna tenet.
Pingues unde coquos adeo sitis acris adurget,
Crassaque prægrandi corpora ventre tument?
Causa patet, potus cur flamma accendat amorem,
Cum fuerit vini natus in igne Deus.

188

An Essentia Materiæ consistat in trina Dimensione? Negr.

FAbrica per longum bene nota latronibus ævum
Stat *Paddingtoniæ* terror, honorque viæ.

Tergemino ut ſurgit ſpectabilis ordine moles!
Ut fulta eſt trino trina columna pede!
De tribus hanc, aliamve, Latro, ſubverte columnam:
Stat tamen in pœnas integra furca tuas.

189

An inter Agens & Patiens detur Actio reciproca? Aff^r.

DUM pueri ludunt in aprici margine ſtagni,
Jacta ſuperficiem ſtringere ſaxa vides.
Miratur manus impubes, ut merſa ſub undis
Corpora jam motu ſubſiliente volent.
Unde nova hæc motus ſpecies? aqua tollit eodem
Impulſu lapidem, quo lapis urget aquam.

190

An Senſibus ſit fidendum? Aff^r.

QUam *Juveni lucem Natura negarat iniqua,
Promittit medica clarus in arte Lacon.

* Tatler 55.

Mox

Mox opus aggreditur: juxta ſtetit anxia virgo
Fida comes miſero ſemper, amata Chloe.
Admiſſa juvenis jam primum luce ſtupeſcit;
Huc illuc oculos verſat, & hæret hians:
Incertus qui ſint, matremque patremque tuetur,
Miraturque ſuæ neſcius ora Chloes.
Quæ novus hic, clamat, pandit miracula viſus!
Quæ ſeſe ante oculos ſiſtit imago meos!
Mene, ait ergo Chloe, neſcis, Chariſſime? neſcis
Ergo ducem dubiæ me, comitemque viæ?
Hæccine forma Chloes! hi vultus! o mea certe eſt,
Agnoſco vocem, clamitat, ipſa Chloe eſt.

191

An Calor ſit a Motu? Affr.

QUA celebrat lætas cultiſſima turba choreas,
Et meliore nitet fœmina virque toga;
Ecce Corinna oculos in ſe dejecta modeſtos
Prodit, & ad modulos membra venuſta movet:

Quam molli inceſſu partes ſe fundit in omnes!
Doctaque præſcriptas itque reditque vias!
Illam Cotta videt, numeroſaque brachia laudat,
Purpureaſque genas, exiguumque pedem:
Seu cum producit lento veſtigia greſſu,
Sive pedem celeri mobilis arte quatit;
In toto effulget quæ gratia corpore! motu
Illa ſuo juvenes urit, & ipſa calet.

192

An Sonus ſit in Corporibus ſonantibus? Negr.

DUM celebrat ludos exacto tempore meſſis,
Atque agili ſaltat ruſtica turba pede;
Stat cæcus medio Auletes, humeroque ſiniſtro
Suppoſitum cubito ſedulus urget utrem;
Ille ſimul patulis accepit follibus auras,
Et latera Æoliis intumuere notis;

Evo-

Evolat, atque aures demulcet amabile murmur;
Et reddit varium fiſtula blanda melos.
Nil proſunt faciles digiti, nil concava pellis,
Ni ſaliat preſſis follibus aura loquax.

193

An detur Sympathia? Affr.

QUærit opem medicam vultus diſpendia paſſus,
In caſtris miles, Cotta, Cupido, tuis.
Informem ſupples, *Talicoti*, nare lacunam,
Quam de vectoris podice dextra ſecat.
Naſus obit ſuffixus ademti munia, odorans
Sternuit, & vatum carpit aduncus opus.
At quoties agilis miſerum calx effodit anum,
Sympathico naris verbere læſa dolet;
Acrior & roſtrum morbus ſi tentat, eadem
Conſortes ſquallent peſte, putrentque nates.
Vectorem, Cotta, & Vector, tu protege Cottam,
Neuter enim, niſi ſit ſanus uterque, valet.

An

194

An Cœli influant in Generationem Viventium? Affr.

CUM fera diluvies merſo deſæviit orbe,
Et coluit raros rara juventa lares;
Cœlicolum laſciva cohors ſublimia linquens
Sydera, terreſtres fertur adiſſe nurus.
De duce terribili fit Mavors blandus amator,
Et pluſquam ſolito Phœbus ab igne calet.
Jupiter haud una celat ſub imagine furtum;
Nunc aurum, nunc bos, nunc fit adulter avis.
Sic nova ſtirps hominum, cœlorum munere ſurgit,
Et quos ira Deum perdidit, auxit amor.

95

An Motus projectorum fiat ab Impetu a Projiciente impreſſo? Affr.

ITur ad *Auguſtæ* qua celſa palatia, collem
Tertius *Oxonii* ſignat ab urbe lapis.

Agmine

Agmine paſtorum procul hinc certante ſagittis,
Nomen ab eventu fertur habere * locus:
Dum multi exercent æquo certamine vires,
Imbellique vibrant irrita tela manu;
Unius e manibus, ſinuato fortiter arcu,
Emiſſum telum trans juga ſumma volat.
Facti ſigna manent; hominiſque immania membra,
(Qua ſtetit Arcitenens,) gramine ficta virent.
Quicunque immodicum teli mirabere jactum,
Aſpice, quanta manus projicientis erat.

196

An Senſus ſit Singularium? Affr.

PHyllida formoſam dives dum Nævolus ambit,
Et tener egregio Cinna decore placens;
Neſcit quem tæda dignetur Phyllis, utrinque
Non injucundis ſollicitata procis.
Hinc ſubeunt placidis ductæ ſermonibus horæ,
Et forma præſtans, ingenioque comes:

* Shotover Hill.

Hinc

Hinc lautus comitatus, onusta monilia gemmis,
Currus *Flandriacis* conspiciendus equis.
Sed dubio alternos dum vertit pectore sensus,
Innuba, cum cupiat nubere, virgo manet.
Vis fieri conjux? vel solæ sint tibi cordi
Divitiæ, solus vel tibi, Phylli, decor.

197

An per Rarefactionem augeatur Quantitas? Negr.

DUM curat Matrona, latus succincta decenter,
Ut solitas habeat mensa secunda dapes;
Primo mane rubræ pressum lac ubere vaccæ
Miscet, & in nitido dulcia vina vitro.
Læva manus longa laticem syringe receptat,
Per teres expressum dextra foramen agit.
Crescit, & extremas phialæ supereminet oras,
Lactea purpureo bulla liquore tumens.

Rusti-

Rusticus hoc conviva expanso gutture captat,
Nec rarum clauso gustat in ore cibum.
At velut in vestes lapsum, aut mantile requirit,
Spectat an effuso lacte madescat humus.
Convivæ risere simul, risere ministri;
Heus, agrestis, ait, qui prope scurra sedet;
Grandia de tenui speras? hoc lacteus humor
Ante fuit, nunc est magnum & inane nihil.

198

An Quicquid movetur ab Alio moveatur? Affr.

VIdistin' celeres quæ machina nuntiat horas,
Et quali passu noxque diesque fluunt?
Huic gemini Heroes, magni more Herculis, adstant,
Fustis utrumque armat, pellis utrumque tegit.
Tempus adest. Ambo trepidantia fustibus æra
Ter, quater impellunt; ter, quater æra sonant.

Non matutinas ſignat conſtantior hòras
Gallus, non Solis certior umbra diem.
Miratur Corydon molemque, ictuſque Gigantum,
Et quis eos, rogitat, ſpiritus intus agit.
Non anima hoc præſtat, non vita infuſa per artus,
Hoc fabri labor eſt, artificiſque manus.

199

An Elementa maneant formaliter in Mixto? Negr.

PHarmaca confundit fluviali **Tintoret* unda,
Vinaque ſinceras in nova vertit aquas:
Pocula decepto vendit medicata popello,
Notaque fucatis nomina ponit aquis.
Hinc tibi Campanum depromit, & inde Falernum,
Quicquid habet Gallus, quicquid Iberus habet.
Non aqua, non vinum eſt, ſed verum imitante Lyæum
Flumine, vinoſus fit ſine vite liquor.

* Tatler 131.

An

200

An omne Corpus componatur? Aff^r.

QUæris quo victu *Cornubia* gaudeat? artem,
Qua formes placidas, accipe, Phylli, dapes.
Erige triticeo Cerealia mœnia farre;
Et pandat largum maſſa rotunda ſinum;
Tum poma in minimas redolentia divide partes;
Et carnem pinguis ſuppeditabit ovis;
Cæpe ſaporato contingat cætera ſucco;
Sparge tamen parca flebile cæpe manu.
His bene compoſitis rebus, te, Phylli, tuaſque
Laudabit mixtas helluo quiſque dapes.

201

An Cœlum agat in Animum? Neg^r.

MIttitur incultus villæ prædivitis hæres,
Qua jam pacatis Sequana ludit aquis:
Ut, varios hominum mores dum luſtrat & urbes,
Dediſcant patrium corda reficta lutum.

Sed qualis rediit, quantum mutatus ab illo,
Ruſtica cui nuper cura fuere boves!
Nunc inter bellam notiſſima fabula turbam,
Veſte nitet Galla, Gallica verba crepat.
Si veſtes & verba notas, redit Aulicus; at ſi
Ingenium ſpectas, hoc Corydonis habet.

An Cauſæ ſint ſibi invicem Cauſæ? Affr.

* ERecta in medio conſcendit pulpita vico,
Atque hilares lepidus fundit Agyrta ſales.
Huc vulgus, celeri flectens veſtigia curſu,
Denſum humeris avida combibit aure jocos.
Hos inter Lanius, prægrandi abdomine tardus,
Æſtuat; huc, illuc verſat utrumque latus.
Nunc graviter ſpirat; nunc humor obeſus ad imos
Ex omni facie labitur uſque pedes.
Tandem oculos volvit circum, & fere membra ſolutus,
Quam turpis, clamat, quam numeroſa cohors!

* Vid. Preface to the Tale of a Tub.

Cui

Cui juxta Textor, læſo indignatus honore,
Noſne, inquit, turpes, Bellua, noſne vocas?
Heus! prælarga nimis tu contrahe viſcera, Monſtrum;
Tu turbam, quæ te prægravat, ipſe facis.

203

An Natura agat propter Finem? Affr.

EOI nimium felix gens accola Gangis!
In quorum ſylvis alta *Cocoa* viret.
In varios lignum tornat pater Indicus uſus,
Dum folio pueros ſedula veſtit anus:
Suppeditat ramis patinamque, cibumque *Cocoa*,
Ipſa umbram, ipſa ſcyphum præbet, & ipſa merum:
Fingitur ex illa puppis, remuſque, rudenſque,
Velaque; & ipſa ſuas trans mare portat opes:
Hinc mercatorem ditat, dulcique liquore
Angliacas paſcit mane *Cocoa* nurus.
Ne dubites utrum mens finxerit omnia ſolers,
Uſibus innumeris apta *Cocoa* vetat.

An

204

An Simile agat in Simile? Affr.

CArmina dum meditans Orpheus, & totus in illis,
Aurea dulciſono pollice fila movet;
Altera forte chelys, muro quæ penſilis hæret,
Conſimili cœpit murmure dulce queri:
Sponte ſua reſonant nervi, nec pectinis uſum
Implorant, dextræ nec modulantis opem.
Dic ô, naturæ quicunque arcana reſolvis,
Quæ moveat ſociam vis numeroſa chelyn.
Concentum pariles chordæ tendantur ad unum,
Et poterit fidicen dicier ipſa fides.

205

An Quicquid movetur, ab Alio moveatur? Affr.

EST capite immani, tumidoque informis ocello,
Lunatuſque gravi crura labore canis,

Eſcu-

Eſculeo clauſus qui carcere ſudat ad ignes,
Alternoque orbem ſedulus ungue rotat.
Labitur aſſurgens, & ſe ſequiturque fugitque,
Et redit ad primum progrediendo locum.
Ipſe cavi pariter rapitur vertigine gyri,
Et movet ille rotam, dum movet illa canem.

206

An Contraria poſſint eſſe in eodem Subjecto? Negr.

PErtentant Codrum ſubiti deliria morbi,
Et quæcunque videt ſomnia, vera putat.
Hippocratem aggreditur — Meiebam, dulcis Amice,
Proque expectatis mus vagus exit aquis:
Dum loquor, huc, illuc incluſum curſitat agmen;
Eroſumque angit ſtridula turba jecur.
Cui medicus ridens — Hoſti contrarius hoſtis
Pugnet; vis mures pellere? Sume catum.

207

An Accretio fiat per Nutritionem? Affr.

SEptenos fœtus quoties enixa jacet ſus,
Et diſtenta fovent ubera molle pecus;
Ede mihi, Corydon, dixit puer improbus, unde
Lacte tument reliqui, ſeptimus uſque macer?
An quod ſæva parens hunc reſpuit? an quia pinguis
Eſca Sacerdotis ſit minus apta gulæ?
Subridens Corydon, non odit lauta Sacerdos,
Porcellove parens ubera claudit, ait.
Hæc cauſa eſt; alitur large dum cætera proles,
Hanc uxor cauda retrahit, ergo macra eſt.

208

An Idem ſit Cauſa Diverſorum? Affr.

ANtiochus juvenis Stratonicæ ardebat amore,
Grandævo patri quam ſociarat Hymen.
Quid faceret? Patriæ leges & jura fateri,
Quo tacite languens carpitur igne, vetant.

For-

Formoſos jam lenta febris depaſcitur artus;
Gliſcit Apollinea fortius arte malum.
Cauſa latet reliquos; at non, Eraſiſtrate, Phœbo
Chare ſenex, viſus effugit illa tuos.
Aſpicis, ægrotum quoties Regina reviſit,
Ut pateat, fruſtra diſſimulatus, amor.
Extemplo juveni non vultus, non color idem,
Cor tumet undanti ſanguine, lingua ſtupet.
Sollicito jam certa ferens reſponſa parenti,
Quis puero morbus, quæ medicina, doces.
Cauſa mali nato tua, Rex, eſt uxor, at illi
Cedat connubio, cauſa ſalutis erit.

209

An Aliquid violentum ſit diuturnum? Negr.

JAmdudum Mopſæ Niſus ſperabat amores,
Deperiit Niſum nec minus illa ſuum.

Ora maritali mox porrexere capiſtro,
Optatoque ambos compede junxit Hymen.
Ex hoc debilior ſenſim langueſcere flamma,
Et ſtrepere ambiguis jurgia mixta minis.
Tandem ineunt pugnam, tandem arma domeſtica tor-
[quent,
Et furit hæc lingua fortior, ille manu.
Nunc uxor cedit, nunc vertit terga maritus,
Inque vicem in ſola regnat uterque caſa.
Ne tamen hinc lites æternave bella moveri
Credas, illorum ſic violentus amor.

210

An Bruta Cogitent? Negr.

DUcitur, immenſa vulgi comitante caterva,
Per plateas phaleris conſpiciendus equus:
Novit heri vocem, ſcit chartis ludere pictis,
Atque notat, quis vel fur, vel adulter adeſt.
Anna ſonat? premit ille genu quaſi ſupplice terram;
Inviſa ad *Turcæ* nomina calce ferit.

Hoc

Hoc facit ad domini nutum, crepitumque flagelli;
Nec quævis illum mens ratiove regit.
Sin jubeat dominus, repetita hic calcibus Anna
Sæviet; & flectet fors tibi, *Turca*, genu.

201

An omne Corpus, quamdiu vivat, nutriatur? Affr.

POntificum annales inter, ſpecioſa piorum
Figmenta, hæc legitur fabula, digna legi:
Damnatur vetulus tenebris, inſonſque jubetur
(Sæva nimis ſonti pœna) perire fame:
Arctis compedibus, duro cuſtode tenetur,
Nec cibus oranti, nec datur unda ſeni:
Nequicquam. Priſcæ remanent in corpore vires,
Non vigor e membris, non fugit ore color;
Plebs Patreſque ſtupent dapibus pingueſcere nullis,
Et portenta inter religioſa notant:

Mittite, Romani, miracula vana referre,
Ignoto vobis vescitur ille cibo.
Jejuno patri pia nutrix ubera præbet
Filia, dans vitam, traxerat unde suam.

212

An sublata Causa tollatur Effectus? Aff^r.

INgruit attonitis tempestas horrida nautis,
Quassatamque fremens verberat unda ratem:
Sanctior hos inter Monachus, resipiscite, clamat,
Causa mali tanti vos, scelerata cohors:
Accurrunt nautæ pavitantes, hujus in aurem
Se subito vitiis exonerare parant;
Æstuat æquor adhuc, jam jam volitare per auras
Visa ratis, jam jam Tartara ad ima premi:
Quid mirum, unus ait, si sic agitemur in undis,
Navis adhuc sceleris mole gravata gemit;

Quin

Quin Monachum hunc, in quem culpas transfudimus [omnes,
Protinus in fluctus ejiciamus, ait;
Omnes dicta probant; ſimul omnes, ejiciamus:
In rapidum præceps volvitur ille fretum:
Nunc faciles ventos, Socii, ſperate, ſub undis
En! Monachus ſecum crimina noſtra vehit.

213

An Elementa maneant formaliter in Mixto? Neg^r.

QUos peto, concedas facilis mihi, Jupiter, hauſtus;
Nec tribuas parca pocula lauta manu.
Adſit combuſti mihi copia multa Lyæi;
Illimiſque ſuas fons mihi volvat aquas:
Indica mellitum diſtillet canna ſaporem;
Moſchatæ redolens detur aroma nucis:
Poma eliſa acidos emittant citrea ſuccos,
Cunctaque fagineo ſint bene myſta ſcypho.

Hæc

Hæc non vinoſus faſtidit pocula Rufus;
Hæc quoque, ſit quamvis ſobria, Phyllis amat.
Nempe liquor miſtus mutatur uterque, bibiſſe
Altera dum vinum ſe negat, alter aquam.

204

An Terra circum ſuum Axem volvatur? Affr.

NOcturnis madidus cyathis Silenus ab urbe
Dum repetit titubans, Sole oriente, domum;
Obvius adverſo nunc tundit pariete frontem,
Impete & in poſtes nunc ruit ille pari.
Sed mox incerto dum fert veſtigia greſſu,
Tandem procumbit præcipitatus humi.
Heus! ait, Aſtrologus mundo ſtatuit bene motum,
Tam celer huic motus, non mihi ſtare datur.

An

215

An Quicquid ſit in Intellectu intret per Senſum? Affr.

MEntis hebes patriis Cymon errabat in agris,
Fidus aratorum, ruricolumque comes.
Sibila fundebat contracto nubilus ore,
Atque ibat baculum per loca ſola gerens.
Forte nemus ſubiit myrtis atque ilice nigrum,
Irriguumque ſacro fonte perennis aquæ.
Hic nudo placidos carpentem pectore ſomnos
Te, forma præſtans Iphigenia, videt.
Ut vidit, toto inſolitum ſub corde calorem
Hauſit, & expanſo conſtitit ore ſilens.
Tum primum ſenſit, cupiens tibi, Virgo, placere,
Agreſtes motus, & rude pectus Amans.
Ergo artus nitido duros effingere cultu
Incipit, & mores non ſinit eſſe feros.

Non

Non illo melius quiſquam exercere choreas,
Orave luctantis flectere novit equi.
Quas artes non patris amor, non cura magiſtri,
Viſa ſemel cunctas, Iphigenia, doces.

FINIS.

E 8.27